BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XXIII
C
17
NAPOLI

INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ,

AUCTORITATE

D. D.

ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS,

AD USUM SCHOLARUM SUÆ DIŒCESIS EDITÆ.

TOMUS QUARTUS.

MORALIS.

B. R. NEAPOLIS

BASSANI, MDCCXCI.

PROSTANT

ENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

INDEX

ETHICÆ, SIVE MORALIS.

PRÆFATIUNCULA. pag. 11.

ETHICA GENERALIS. 13

DISSERTATIO I.

De Actuum humanorum principiis. ibid.

CAPUT I. *De principiis actuum humanorum internis.* ibid.

ART. I. *De voluntate.* ibid.

§. I. *De voluntario.* 14

QUÆST. I. *Utrum coactio tollat voluntarium.* 15

PROP. *Voluntas cogi poteſt quoad actus imperatos, ſive exteriores; minime vero quoad actus elicitos, ſive interiores.* ibid.

Q. II. *Utrum metus tollat voluntarium.* 17

PROP. *Metus gravis, quo ſtante, manet homo ſui compos, voluntarium non omnino tollit, ſed minuit.* ibid.

Q. III. *Utrum ignorantia tollat voluntarium.* 19

PROP. I. *Quæ fiunt ex ignorantia vincibili, voluntaria ſunt, totidemque peccata, ſi mala ſint.* ibid.

PROP. II. *Ignorantia quælibet invincibilis tollit voluntarium, & a peccato excuſat.* 20

Q. *Utrum ad vere proprieque peccandum, neceſſe ſit ut attendamus, vel ſaltem ſuſpicemus malum eſſe id quod agimus.* ibid.

PROP. *Ad vere proprieque peccandum, non requiritur, ut quod agimus malum eſſe advertamus, vel ſuſpicemur, vel de Deo cogitemus.* 21

§. II. *De libero.* 23

Q. I. *In quo conſiſtat libertatis eſſentia.* 24

PROP. I. *Homo in præſenti naturæ lapſæ ſtatu,*

vires non habet ad bonum & malum æquales; neque in hujuſmodi æquilibrio conſiſtit liberi arbitrii eſſentia. 25
PROP. II. *Eſſentia libertatis ſita eſt in poteſtate agendi vel non agendi.* 27
PROP. III. *Potentia peccandi ad libertatis eſſentiam non pertinet.* 29
Q. II. *Utrum exiſtat in homine libertas.* 30
PROP. *Exiſtit in homine proprie dicta libertas agendi, vel non agendi.* ibid.
Solvuntur objecta. 34
ART. II. *De Conſcientia.* 42
§. I. *De Conſcientia generatim ſumpta.* 43
PROP. *Nunquam licet contra conſcientiam agere: quod autem, ea dictante, geritur, aliquando malum eſt.* 44
Solvuntur objecta. ibid.
§. II. *De conſcientiæ diviſionibus.* 47
SECT. I. *De conſcientia dubia.* 48
PROP. *Qui conſcientiam habet dubiam, ab actu debet abſtinere, ſi nulla urgeat agendi neceſſitas; quæ ſi adfuerit, partem tutiorem eligere debet.* ibid.
Solvuntur objecta. 49
SECT. II. *De conſcientia, ſive opinione probabili.* 51
PROP. I. *Non licet ſequi opinionem minus probabilem, quæ favet libertati, in concurſu alterius probabilioris, quæ favet legi.* 52
PROP. II. *Non licet ſequi opinionem probabilem, quæ favet libertati, in concurſu alterius æque probabilis, quæ ſtat pro lege.* 53
Solvuntur objecta. ibid.
CAPUT II. *De principiis actuum humanorum externis.* 57
ART. I. *De fine actuum humanorum.* ibid.
§. I. *In quo ſita ſit vera hominis beatitudo.* 58
PROP. I. *Ad veram proprieque dictam beatitudinem homo deſtinatur.* ibid.
PROP. II. *Homo non poteſt in ſeipſo veram felicitatem invenire.* 59
PROP.

PROP. III. *Hominis beatitudo non ſita eſt in bonis creatis.* ibid.
PROP. IV. *Deus ſolus eſt ſumma hominis beatitudo, ſive ſummum bonum.* 61
§. II. *De officio quo tenemur omnes actiones noſtras ad Deum, tanquam finem ultimum referre.* 63
PROP. *Homo tenetur omnes & ſingulas actiones deliberatas ad Deum, tanquam finem ultimum, referre ex amore ſaltem* virtuali. ibid.
Solvuntur objecta. 65
ART. II. *De Lege.* 69
§. I. *De lege æterna & naturali.* ibid.
SECTIO I. *Utrum exiſtat lex naturalis.* 70
PROP. I. *Bonum & malum morale ex natura ſua differunt.* 71
PROP. II. *In omnium mentibus exiſtit lex naturalis.* 73
Solvuntur objecta. 75
SECT. II. *Utrum lex naturalis mutationem & diſpenſationem admittat.* 85
PROP. *Lex naturalis nullam mutationem, nullamque diſpenſationem admittit.* ibid.
Solvuntur objecta. 86
SECT. III. *Utrum* invincibiliter *ignorari poſſit lex naturalis.* 87
PROP. *Juris naturalis ignorantia nunquam eſt vere invincibilis.* ibid.
Solvuntur objecta. 88
§. II. *De Lege poſitiva.* 91
SECT. I. *De legis poſitivæ notione, diviſione & objecto.* ibid.
SECT. II. *De jure quod habent Principes ſæculares & Eccleſia, leges condendi quæ conſcientiam obligent; quid utrique huic Poteſtati proprium ſit.* 94
PROP. I. *Jus habent Principes ſæculares condendi leges quæ conſcientiam obligent.* 95
PROP. II. *Poteſt Eccleſia leges condere, quæ vim obligandæ conſcientiæ habeant.* 96

Solvuntur objecta. 97
SECT. III. *De nonnullis quæſtionibus ad legis poſitivæ obligationem pertinentibus.* 102

DISSERTATIO II.

De Actuum humanorum proprietatibus. 104

CAPUT I. *Utrum bonitas vel malitia moralis ſint aliquid in actibus humanis poſitivi.* 105
PROP. I. *Bonitas moralis eſt aliquid poſitivi.* ibid.
PROP. II. *Malitia moralis eſt privatio rectitudinis debitæ.* ibid.
Solvuntur objecta. 106
CAPUT II. *Utrum admittendi ſint actus indifferentes.* 108
PROP. *Nullus eſt actus humanus in individuo indifferens.* 109
CAPUT III. *Unde repetenda ſit actuum humanorum bonitas, vel malitia moralis.* 111
PROP. *Actuum humanorum bonitas & malitia non ſolum a fine ultimo, ſed etiam ab objecto & circumſtantiis repetenda eſt.* ibid.

ETHI-

ETHICA SPECIALIS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE *hominis erga ſeipſum officiis.* 114
CAPUT I. *De officiis hominis ad ipſius animam ſpectantibus.* ibid.
ART. I. *De officiis quæ ad intellectum ſpectant.* 115.
ART. II. *De officiis quæ ad voluntatem pertinent.* 116
CAPUT II. *De officiis hominis ad corpus ſuum ſpectantibus.* 119
Q. I. *An ſuicidium aliquando ſit licitum.* 120
PROP. I. *Suicidium propria voluntate commiſſum, actus eſt rebellionis erga Deum.* 121
PROP. II. *Qui ſeipſum voluntarie occidit, reus eſt in ſocietatem, & crudelis in ſeipſum.* 122
Solvuntur objecta. 123
Q. II. *An liceat, ad propriæ vitæ conſervationem, injuſtum aggreſſorem occidere.* 130
Q. III. *An licita ſint ſingula certamina, gallice* duels.
PROP. *Illicita ſunt ſingula hæc certamina.* ib.
Solvuntur objecta. 135

DISSERTATIO II.

De hominis erga ceteros homines officiis. 138
CAPUT I. *De hominis erga ceteros homines officiis, communi humanitatis titulo ſubnixis.* ibid.
PRINC. *generale.* ibid.
COROLLARIA. 139
CAPUT II. *De hominum officiis ad ſocietatem ſpectantibus.* 141
ART. I. *De officiis in ordine ad ſocietatem univerſim ſpectatam.* ibid.

PROP. *Homo natus eſt ad ſocietatem cum aliis hominibus ineundam.* 142
Solvuntur objecta. 144
COROLLARIA. 149
CAPUT III. *De hominum officiis in ordine ad varias ſocietatis ſpecies.* 152
ART. I. *De Societate domeſtica.* ibid.
§. I. *De Societate conjugali.* 153
§. II. *De Societate paterna.* 155
§. III. *De Societate herili.* 159
ART. II. *De Societate civili.* 162
Q. I. *Quænam ex triplici regiminis forma ſit præponenda.* ibid.
Q. II. *Undenam oriatur ſuprema civilis regiminis poteſtas.* 163
PROP. *Suprema Principum auctoritas a Deo, non a populo, ſuam habet originem.* 164
COROLLARIA. 165
Q. IV. *Utrum judex condemnare poſſit hominem in re capitali accuſatum, & ſufficienti teſtium numero convictum, quem privata ſcientia certo novit eſſe innocentem.* 166
PROP. *Non licet judici ex allegatis & probatis hominem condemnare, quem certo novit innocentem.* 167
Solvuntur objecta. 168

DISSERTATIO III.

De hominis erga Deum officiis. 170
CAPUT I. *De Cultu qui ab hominibus Deo debetur.* 171
PROP. I. *Deo cultus internus debetur.* ibid.
Solvuntur objecta. 173
PROP. II. *Neceſſarius eſt cultus Divinitatis externus.* 175
Solvuntur objecta. 176
CAPUT II. *De Revelatione.* 179
ART. I. *An poſſibilis ſit Revelatio.* ibid.
PROP. *Deus poteſt quaſdam veritates revelare ſu-*

ſupra rationem humanam poſitas. ibid.
Solvuntur objecta. 182
ART. II. *De neceſſitate Revelationis.* 186
PROP. *Ad cognoſcenda plurima legis naturalis præcepta, revelatione ſummopere indigebat genus humanum.* 187
Solvuntur objecta. 189
ART. III. *De Revelationis divinæ ſignis & notis.* 192
§. I. *De Miraculis.* ibid.
SECT. I. *Quid ſit miraculum.* 193
PROP. *Miraculum proprie dictum videtur definiendum, eventus quidam ſtupendus, totius naturæ creatæ vires & ordinem ſuperans.* ibid.
Solvuntur objecta. 194
SECT. II. *Utrum poſſibile ſit miraculum.* 197
PROP. *Miraculum eſt poſſibile.* ibid.
SECT. III. *De miraculorum cauſa efficiente.* 199
PROP. *Deus ſolus eſt cauſa efficiens principalis miraculorum.* 200
Solvuntur objecta. ibid.
SECT. IV. *De vi & efficacia miraculi in genere probationis.* 204
PROP. *Miraculum proprie dictum per ſe probat veram eſſe doctrinam, in cujus gratiam editum eſt.* ibid.
Solvuntur objecta. 206
§. II. *De Prophetiis.* 216
PROP. I. *Prophetia ſtricte ſumpta eſt poſſibilis.* ibid.
PROP. II. *Solus Deus eſt cauſa efficiens Prophetiæ proprie dictæ.* 217
CAPUT III. *De Chriſtianæ Religionis divinitate & veritate.* 219
PROP. I. *Novi Teſtamenti Libri vere ſunt authentici, non autem ſuppoſiti.* ibid.
Solvuntur objecta. 221
PROP. II. *Novi Teſtamenti Libri non fuerunt quoad ſubſtantiam adulterati.* 224
Solvuntur objecta. 225
PROP. III. *Facta quæ in Novi Teſtamenti Libris nar-*

narrantur, omnimoda fidem ſibi vindicant. 228
Solvuntur objecta. 231
COROLL. *Ergo Religio Chriſtiana divinitus revelata eſt.* 237
ARGUM. I. *Ex Chriſti & Apoſtolorum miraculis.* 238
Solvuntur objecta. 239
ARGUM. II. *Ex Prophetiis.* 242
ARGUM. III. *Ex Chriſti reſurrectione.* 245
Solvuntut objecta. 249
ARGUM. IV. *Ex Chriſtianæ Religionis propagatione.* 254
Solvuntur objecta. 256
ARGUM. V. *Ex martyrum fortitudine.* 261
Solvuntur objecta. 263
ARGUM. VI. *Ex inconcuſſa perpetuaque Religionis Chriſtianæ ſtabilitate.* 266
COROLLARIUM. 267

IN-

INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ.

ETHICA
SIVE MORALIS.

QUAM auſpicamur Philoſophiæ pars, cæteras præceptorum utilitate & excellentia facile vincit, in eamque deſinere debet omne Philoſophiæ ſtudium. Quid enim ea diſciplina utilius, quæ voluntaris actiones dirigit & perficit; quæ docet quid juſtum quid injuſtum ſit; qua prælucente varios animi morbos detegere & ſanare poſſimus? Quid nobis profuerit rerum extra nos poſitarum cognitionem aſſequi, ſi quæ officii noſtri ſunt, & ſine quibus viros probos eſſe nobis non licet, ignoremus aut negligamus? Honeſti juſtique diſciplina, inquit du Hamel, a natura quidem eſt inchoata, quæ primos velut impetus ad virtutem dedit; ſed niſi mores ſubinde excolantur, doctrina perficiantur, ea virtutum ſemina, aut igniculi animis noſtris congeniti, malis moribus, opinionibuſque depravatis, ita reſtinguuntur, ut vix interluceat naturæ lumen.

Quid autem juvat diſciplinæ moralis præcepta cognoſcere, ſi in eorum ſterili nudaque contemplatione conquieſcamus? Eo ſpectare debet

Philoſophus Chriſtianus, ut mores corrigat, vitia declinet, virtutem ſectetur, omne officiorum genus cognoſcat & adimpleat, ut tandem honeſtam Deoque acceptam vitam tranſigat. *Philoſophi non verbis, ſed factis ſimus*, inquit S. Cyprianus.

De nomine & natura *Ethicæ* quædam ſunt præmittenda, priuſquam rem ipſam aggrediamur. Suam habet appellationem a voce græca ἦθος, quæ idem ſignificat ac *mores*, quos ad virtutis & honeſtatis regulas informat & dirigit. Mores autem quædam ſunt in bonum aut malum morale propenſiones, vel nobis congenitæ, vel repetitis actionibus comparatæ, quæ proinde actibus ſive bonis, ſive malis præbent originem.

Ethica ſeu *Moralis* definiri ſolet *Scientia practica actus humanos ad honeſtatem dirigens*. 1. Dicitur *ſcientia*, quia ex principiis inconcuſſis certas deducit concluſiones; ex. g. ex iſto principio quod omnia juſtitiæ officia complectitur, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri nolis*, colligit non eſſe furandum, non calumniandum, non occidendum, &c. ex iſto, quod omnia humanitatis officia continet: *Alteri facias, quod tibi fieri velis*, concludit nec opem miſeris, nec ſolatium mœrentibus eſſe denegandum. 2. *Practica*, quia in mera ſui objecti, ſive actuum humanorum, ſpeculatione non conquieſcit; ſed tota eſt in tradendis regulis, quarum ad normam actiones noſtræ exigantur. 3. Dicitur *actus humanos* ad honeſtatem dirigens. *Actus* autem *humani* nomine intelligitur quidquid fit a nobis humano modo agentibus, id eſt, cum rationis judicio, voluntatiſque conſilio & deliberatione. Actus vero qui fiunt citra mentis attentionem & voluntatis arbitrium, appellari ſolent *actus hominis*. De iis poſterioribus non differit Philoſophia moralis. Cum enim rationis judicio, & voluntatis conſilio non ſubjiciantur, nulla bonitate & malitia morali affici poſſunt.

Ethicam ſive *Moralem* dividimus in generalem & ſpecialem.

ETHI-

ETHICA

GENERALIS.

ETHICA generalis de actibus humanis generatim differit, quorum principia & proprietates conſiderat. De utriuſque ſeorſim agendum.

DISSERTATIO PRIMA.

De Actuum humanorum principiis.

ACtuum humanorum principia dicuntur ea omnia quæ ad ipſos formandos concurrunt. Duplicis ſunt generis; alia ſcilicet interna quæ in homine, & alia externa, quæ extra hominem poſita ſunt. De utriuſque duo erunt capita.

CAPUT PRIMUM.

De principiis Actuum humanorum internis.

PRincipia humanorum actuum interna ſunt intellectus, voluntas & conſcientia. De intellectu in Metaphyſica jam diximus; agendum igitur ſupereſt de voluntate & conſcientia.

ARTICULUS PRIMUS.

De Voluntate.

VOluntas definiri poteſt animæ facultas, quæ bonum ab intellectu propoſitum ſectatur, vel malum averſatur. Spectari tamen poteſt vel quatenus vult *ſimpliciter*, vel quatenus vult *libere*. Eam ſub duplici illo reſpectu expendemus duplicibus in paragraphis quorum alter de *voluntario*, & alter de *libero*.

PA-

PARAGRAPHUS I.

De Voluntario.

VOluntarium illud dicitur quod a voluntate proficiſcitur, & definiri poteſt id quod agitur cum intellectus cognitione, & voluntatis propenſione. Antequam enim aliquid velit aut agat voluntas, id cognoſcatur neceſſe eſt: unde tritum illud effatum, *Ignoti nulla cupido*.

Voluntarium dividitur 1. in *perfectum* quod ſcilicet oritur ex plena perfectaque voluntatis propenſione; & *imperfectum*, quod fit quidem cum voluntatis conſenſu, ſed non ſine aliqua repugnantia; talis eſt actus mercatoris, ingruente tempeſtate, merces ſuas in mare projicientis. 2. In *directum* & *indirectum*. Voluntarium *directum* illud eſt, quod in ſeipſo a voluntate intentum fuit, ut ſiquis inimicum ſciens & volens pugione trucidaverit. *Indirectum* id eſt illud quod non quidem in ſeipſp volumus, ſed tantum in ejus cauſa, cum ſcilicet agens prævidet, aut prævidere poteſt & debet, hunc vel illum effectum ex hac vel illa cauſa eſſe conſecuturum: ſic homicidium in ebrietate commiſſum, habetur tanquam voluntarium, quia dum aliquis vino ſeſe obruit, prævidere poterat fieri poſſe ut homicidium ex hac intemperantia ſequeretur.

Nunc inquirendum eſt quid tollat aut minuat voluntarium. Cum propenſioni quæ una eſt voluntarii conditio, opponantur *coactio* & *metus*; quia cognitioni, quæ altera voluntarii dos eſt, adverſatur *ignorantia*, idcirco quæri ſolet utrum coactio, metus & ignorantia voluntarium perimant.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Utrum coactio tollat voluntarium.

AD ſolvendam hanc quæſtionem, obſervandum eſt, 1. actus humanos alios appellari *elicitos*, ſive *interiores*, alios *imperatos*, ſive *exteriores*. Actus *eliciti*, ſive *interiores*, dicuntur ii qui ab ipſa vel potius in ipſa voluntate peraguntur: talia ſunt amor, odium, &c. Hoc nomen obtinent, quia a voluntate, tanquam a principio eliciente, prodeunt. Actus *imperati*, ſive *exteriores*, ſunt ii quos imperare quidem ſolet voluntas, ſed qui facultatum corporearum miniſterio exercentur, ut deambulatio. Obſervandum eſt, 2. illud *coactum* dici, quod fit a principio externo contra voluntatis inclinationem: qualis eſt violenta hominis in carcerem conjectio.

PROPOSITIO.

Voluntas cogi poteſt quoad actus imperatos, ſive exteriores, minime vero quoad actus elicitos, ſive interiores.

Prob. 1. pars. VOluntas cogi poteſt quoad illius actus, qui, ipſa prorſus invita, fieri poſſunt: atqui actus *imperati* ſive *exteriores*, fieri poſſunt, voluntate omnino reluctante. Hujuſmodi enim actus ſunt ii qui non immediate prodeunt a voluntate, ſed a facultatibus corporeis; atqui actus illi aliquando fiunt, voluntate prorſus renitente, ut videre eſt in homine qui in carcerem trahitur; ergo, &c.

Prob. 2. pars; Voluntas cogi non poteſt quoad illos actus qui, ipſa invita, fieri nequeunt: atqui actus *eliciti*, ſive *interiores*, nunquam fieri poſſunt, invita voluntate, ſiquidem ab ipſa & in ipſa peraguntur. Præterea repugnat idem eſſe, ſimul & non eſſe: atqui voluntas cogi

non

non poteſt, quin idem ſit, ſimul & non ſit, id eſt, quin voluntas idem velit ſimul & nolit. Vellet quidem, cum ex hypotheſi cogatur aliquid velle; non autem vellet: illa enim non vult, quæ tota vi ſua reluctatur & reſiſtit: atqui ſi voluntas aliquid velle cogeretur, jam tota vi ſua reluctaretur & reſiſteret; ergo, &c.

Dices 1. Deus, utpote ſupremus voluntatis humanæ Dominus, poteſt eam invitam compellere ut aliquid velit, ſicut divo Paulo contigit, qui ex infenſiſſimo Religionis Chriſtianæ hoſte, illico factus eſt ejuſdem acerrimus defenſor; ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. Potentiſſimum enim Numen non ita voluntatis contumaciam frangit, ut invita velit, quod omnino repugnat; ſed in eam ita fortiter & ſuaviter agit, ut incipiat velle quod antea nolebat, & efficaci propenſione in illud ſeſe ferat, a quo prius abhorrebat. Denique tunc mutatur voluntatis affectus, non cogitur voluntas.

Dices 2. Voluntas poteſt ex quadam neceſſitate ad actus elicitos ferri: ita Sanctis ineſt diligendi Dei neceſſitas; ergo cogi etiam poteſt voluntas.

Reſp. Neg. conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia non omnis neceſſitas voluntatis inclinationi opponitur: eſt enim ſuavis quædam & blanda neceſſitas, quæ voluntatis propenſioni maxime accommodatur. Hujuſmodi eſt ea, qua beati non poſſunt Deum non amare; in iſtam quippe dilectionem toto voluntatis impetu prorumpunt. Contra vero omnis coactio, utpote violenta, ex ſe voluntatis inclinationi adverſatur; ergo ex eo quod fieri poſſit, ut voluntas ad quoſdam actus elicitos ex neceſſitate ſeſe ferat, non ſequitur ad eoſdem illam cogi poſſe.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Utrum metus tollat voluntarium.

METus eſt animi ab aliquo imminente periculo abhorrentis affectio. Alius eſt gravis, quo ſcilicet grande malum reformidatur; quales ſunt carcer, bonorum proſcriptio, ad triremes damnatio, infamia. Hic metus dicitur *in conſtantem fortemque virum cadens*, quia eo percelli ſolent vel ipſi conſtantes viri. Alius eſt levis quo vel malum leve timetur, vel ſi grave ſit, nullum eſt probabile illius ſubeundi periculum. Quapropter timor ille eſt hominis meticuloſi, & ignavioris proprius, nec virum fortem afficit.

Certum eſt 1. metum levem nullo modo voluntarium tollere, cum neque intellectus cognitionem, nec voluntatis electionem præripiat. Certum eſt 2. metum gravem, ſi mentem e ſuo ſtatu dejiciat, & rationis uſum adimat, voluntarium omnino perimere, ut ſatis patet; moveri igitur controverſia non poteſt, niſi de metu gravi, quo ſtante, manet homo ſui compos, ut vulgo contingit.

PROPOSITIO.

Metus gravis, quo ſtante, manet homo ſui compos, voluntarium non tollit omnino, ſed minuit.

Prob. 1. pars: ILlud voluntarium omnino non perimit, quod neque intellectus cognitionem, neque voluntatis propenſionem adimit: atqui metus gravis, &c. Id patet in mercatore qui, ſæviente tempeſtate, naufragii metu perculſus, merces ſuas in mare dejicit. Cognoſcit enim & pretium ſuarum mercium, & vitæ periculum in quo verſatur, & actionem ipſam,

ipſam, qua ſcilicet merces ſuas in fluctus devolvit: hanc tamen libere eligit, quia vitam ſuam pluris facit & impenſius amat, quam merces ſuas; ergo, &c.

Hinc collige a peccato non eſſe immunes, qui ob gravem metum aliquid perpetrant, ex natura ſua malum & vitioſum. Idcirco graviter peccaret Chriſtianus, qui tormentorum metu fidem abnegaret. Quæ enim per ſe mala ſunt, nullo, vel etiam vita amittendæ, metu honeſtari poſſunt.

Prob. 2. pars: Illud minuit voluntarium, quod minuit propenſionem in id ipſum quod agitur: atqui metus gravis, &c. Quæ enim ex hoc metu fiunt, plurimam adjunctam habent repugnantiam, ut patet exemplo mercatoris jam propoſito: namque merces ſuas in mare projicere nollet, ſi eas abſque vitæ periculo retinere poſſet; ergo metus gravis, voluntarium, ſi non omnino extinguit, non parum imminuit. Quam ob cauſam Eccleſia ſemper erga eos indulgentiorem ſeſe præbuit, qui ſuppliciorum & mortis formidine fidem chriſtianam ejuraverant, quam erga illos qui ſponte ceſſerant.

Dices adverſus 1. propoſitionis partem: Matrimonium & votum ſolemne, ex metu gravi facta, invalida jure declarantur: atqui ideo pronuntiantur invalida, quod nullo modo ſint voluntaria; ergo in iis quæ fiunt ex metu gravi, nihil eſt voluntarii.

Reſp. Neg. min. Matrimonium & votum ſolemne in caſu de quo agitur, non ideo invalida declarantur, quia nullo modo ſunt voluntaria; ſed quia non prodeunt ex conſenſu ſatis libero. Enim vero, cum hujuſmodi contractus homines perpetuis obſtringant vinculis, ſapienter a legibus cautum eſt ne valeant, quando ex voluntate ſatis libera non fiunt. Quot ſcilicet incommoda ſequerentur ex matrimonio, & ſolemni religionis voto, ſi vim obligandi retinerent, etiam quando metu gravi extorquentur!

tur? Quamvis enim timor ille voluntarium non prorſus auferat, illud tamen plurimum imminuit, ac proinde excludit perfectum hunc voluntatis conſenſum, quem tanti momenti res exigit.

QUÆSTIO III.

Utrum ignorantia tollat voluntarium.

IGnorantia generatim eſt cognitionis defectus. Alia eſt *juris*, alia *facti*. Ignorantia *juris* in eo locum habet qui neſcit aliquid a lege ſive divina, ſive humana prohiberi aut præcipi. Ignorantia *facti* laborat, qui legem quidem compertam habet, ſed neſcit hoc vel illud factum eſſe legi contrarium. Utraque dividitur in *vincibilem*, quæ ſcilicet vinci poteſt, & *invincibilem*, quæ nimirum adhibita omni diligentia, quam vir probus & prudens afferre poteſt & debet, ſuperari nequit.

PROPOSITIO I.

Quæ fiunt ex ignorantia vincibili, voluntaria ſunt, totidemque peccata, ſi mala ſint.

Prob. QUidquid fit ex ignorantia voluntaria, profecto ſua in cauſa voluntarium eſt: atqui ignorantia vincibilis eſt voluntaria, adjunctumque habet vel explicitum, vel implicitum voluntatis conſenſum; ſiquidem penes hominem eſt eam depellere, debitam ſcilicet adhibendo diligentiam; ergo quidquid fit ex ignorantia vincibili, ſua in cauſa eſt voluntarium, ac proinde ſi malum ſit, verum erit peccatum, levius aut gravius pro gravitate præcepti, & negligentia diſcendi.

PRO-

PROPOSITIO II.

Ignorantia qualibet invincibilis tollit voluntarium, & a peccato excuſat.

Prob. 1. HOc Auguſtini effato, quod rationi maxime eſt conſentaneum: *Quis peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* (*Lib. 3. de libero arbitrio, cap.* 18. *num.* 5. *tom.* 1. *pag.* 63.) Atqui niſi ignorantia invincibilis penitus tolleret voluntarium, & a peccato eximeret, peccaretur in eo quod nullo modo caveri poteſt: quis enim ab eo præcavere poſſit quod, adhibita quavis diligentia, cognoſcere nequit?

Prob. 2. iſto principio quod ſuggerit ratio naturalis, & adhibet Synodus Tridentina: *Deus impoſſibilia non jubet.* (*Seſſ.* 6. *de juſtificatione, cap.* 11.) Atqui niſi ignorantia invincibilis a peccato excuſet, & voluntarium perimat, Deus jubet impoſſibilia; præcipit enim ut a peccatis omnibus abſtineamus, ac proinde ab iis etiam quæ ex ignorantia invincibili committerentur: atqui hujuſmodi peccata declinare impoſſibile eſt, cum ea cognoſcere non valeamus, ut ſatis patet; ergo niſi ignorantia inſuperabilis a peccato excuſaret, & voluntarium penitus extingueret, Deus merito cenſeretur jubere impoſſibilia; quod a recta ratione prorſus alienum eſt; ergo, &c.

Quæres utrum ad vere proprieque peccandum, neceſſe ſit ut attendamus, vel ſaltem ſuſpicemur malum eſſe id quod agimus?

Movendæ huic quæſtioni occaſionem dederunt nonnulli recentiores Caſuiſtæ a quibus duplex diſtinguitur peccati genus; nempe aliud *Philoſophicum*, & aliud *Theologicum*. *Philoſophicum* illud vocitant quod, licet rectæ rationi adverſetur, tamen non eſt offenſa Dei, nec legis divinæ tranſgreſſio, eo quod ab iis committatur, qui Deum non cognoſcunt, vel de Deo inter agen-

agendum non cogitant, ſicque eum offendere non intendunt. Peccatum quod appellant *Theologicum* eſt offenſa Dei, legiſque divinæ tranſgreſſio, quia ab iis committitur qui Deum cognoſcunt, & de eo inter agendum cogitant. Si quis vero ſuam actionem neque rectæ rationi, neque legi divinæ adverſari noverit, & *actu* perſentiat, tunc proprie non peccat. Exitialem hanc doctrinam damnavit Alexander VII. anno 1690.

PROPOSITIO.

Ad vere proprieque peccandum, non requiritur, ut quod agimus malum eſſe advertamus, vel actu ſuſpicemur, vel de Deo cogitemus.

Prob. 1. Procul dubio peccarunt tum Judæi qui Chriſtum morti tradiderunt, tum ii qui Apoſtolos interfecere, tum Paulus cum Eccleſiam Dei vexaret: atqui tamen ii omnes in flagitioſis his operibus aliquid ineſſe mali quod Deo diſpliceret, neque noverunt neque advertebant. Non quidem Judæi qui Chriſtum cruci affixere, cum de iis dixerit: *Non ſciunt quid faciunt*. (*Luc.* 23. 34.) non Apoſtolorum interfectores, qui arbitrabantur *obſequium ſe præſtare Deo*. (*Joan.* 16. 2.) non Paulus qui ſic teſtatur: *Ego quidem exiſtimaveram me adverſus nomen Jeſu Nazareni debere multa contraria agere* (*Act.* 26. 9.) ad verum igitur & proprie dictum peccatum non requiritur, ut qui agit, operis ſui pravitatem *actu* cognoſcat vel ſuſpicetur.

Prob. 2. Certum eſt non ſemel ex conſcientia errante peccare homines: atqui tamen tunc ita comparati ſunt, ut bene ſe agere perſuaſum habeant, nedum aliquid mali ſuis in actibus deprehendant, vel ea de re ſubdubitent: idque præſertim in iis patet, qui ab infantia in hæreſi enutriti, hanc veluti cum lacte perſuaſionem traxerunt, ſcilicet Religionem quam tenent

nent unam eſſe veram, nec eadem re ullum conſcientiæ morſum experiuntur; ergo, &c.

Prob. 3. Si ad veri nominis peccatum neceſſe ſit ut, dum agimus, operis noſtri pravitatem advertamus, ut de Deo cogitemus ut aliquis ſcrupulus animum ſollicitet, non peccabunt ſceleratiſſimi homines cum, abjecto Dei hominumque metu, immania facinora, citra ſcrupulum, imo tranquilla conſcientia, committent; vel ſaltem tanto levius peccabunt, quanto minus remordebit conſcientia: atqui doctrinam hanc refugit recta ratio, quæ clamat æquum non eſſe, ut homines flagitioſiſſimi per voluntariam cæcitatem acquirant veluti privilegium non peccandi, vel ſaltem tanto minus peccandi, quanto rarius de Deo & ſcelerum atrocitate cogitabunt.

Prob. 4. Quia ex doctrina quam refellimus ſequeretur 1. ab animis noſtris repellendam eſſe tum Dei, tum divinæ legis cogitationem, ne videlicet majori peccatorum numero & gravitati locum præbeat; 2. deplorandam eſſe eorum conditionem, qui Deum, quantum poſſunt, curant animis ſuis præſentem ſiſtere; inde enim grave imminet Dei offendendi periculum: atqui hæc conſectaria horreſcit communis Religionis ſenſus; ergo, &c.

Objic. 1. Ibi nullum eſt peccatum proprie dictum, ubi nulla eſt peccandi voluntas: atqui ſine Dei legiſque divinæ præſenti cognitione nulla eſt peccandi voluntas; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. 1. Quia voluntatem peccandi ſaltem implicitam habet, qui divinam legem addiſcere negligit, quando eam poteſt & debet cognoſcere. *Non tibi imputatur ad culpam*, inquit Auguſtinus, *quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere quod ignoras*. (*Lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 18. *num.* 53.) 2. Quia periculoſum foret Deum divinamque legem *actu* cognoſcere; ſiquidem illa cognitio peccandi voluntatem induceret; contra vero utilius eſſet Deum,

le-

legemque divinam vel ignorare vel obliviſci, hæc enim ignorantia vel oblivio, conſcientiæ ſecuritatem pareret: atqui illa conſectaria, quam Deo legique divinæ injurioſa ſint, nemo non intelligit; ergo ſine Dei legiſque divinæ cognitione adeſſe poteſt voluntas peccandi.

Objic. 2. Eo gravius aut levius peccat aliquis, quo magis vel minus cognoſcit actus pravitatem; ergo ſi eam penitus ignoret, nullum erit peccatum.

Reſp. Neg. conſeq. Cognitio enim pravitatis operis, ad eamque mentis attentio, nonniſi *accidentalis* eſt circumſtantia peccati, ut liquet ex dictis: atqui hujuſmodi circumſtantia peccatum quidem augere poteſt, vel minuere; ſed ea ſublata, non prorſus tollitur peccatum. Certum eſt, v. g. eum qui furatur, eo gravius aut levius peccare, quo majus vel minus ſcandalum inde exoritur: atqui tamen, remoto ſcandalo, furtum non deſinit eſſe peccatum, quia peccati non eſt niſi circumſtantia *accidentalis*; ergo pariter quamvis creſcat, vel decreſcat peccati gravitas, prout magis vel minus cognoſcit aliquis malum eſſe quod agit, non tamen culpa vacabit, ſi actionis ſuæ pravitatem penitus ignoret, modo eam cognoſcere & advertere potuerit & debuerit.

PARAGRAPHUS II.

De Libero.

DUplex potiſſimum diſtinguitur libertas, *a coactione* nimirum & *a neceſſitate*. Libertas *a coactione* eſt immunitas ab omni violentia contra voluntatis inclinationem illata. Hæc iis omnibus competit, qui ſponte, licet ex naturali & interiori neceſſitate, agunt. Quo ſenſu Deus libere ſe amat, Sancti in Cœlo Deum libere diligunt, & homines in terris libere felicitatem appetunt; quamvis enim ex naturalis inclinationis

nis neceſſitate Deus ſeſe amet, & Sancti Deum diligant, & homines fecilicitatem appetant, in hujuſmodi tamen actus ſponte voluntas prorumpit.

Libertas *a neceſſitate*, quæ etiam dicitur libertas *electionis*, *indifferentiæ*, *arbitrii*, ea eſt quæ omnem excludit neceſſitatem; eo ſenſu liber eſt qui poteſt agere vel non agere; hoc vel illud eligere. Quia vero electio unius præ alio duobus modis fieri poteſt, duplex diſtinguitur libertas a neceſſitate; alia ſcilicet *contradictionis*; quæ eſt facultas eligendi alterutrum ex duobus contradictoriis, amandi v. g. vel non amandi; alia *contrarietatis*, quæ eſt poteſtas eligendi alterutrum ex duobus contrariis, bonum vel malum, virtutem aut vitium.

Quod a ſola coactione immune eſt dicitur *voluntarium*. Quod expeditum eſt ſive a coactione ſive a neceſſitate, appellatur proprie *liberum*; alterum igitur cum altero confundi non debet: omne enim liberum eſt etiam voluntarium, ſed non vice verſa. Ex. g. amor Dei in beatis voluntarius eſt, quia ipſorum inclinationi maxime eſt conſentaneus; ſed liber non eſt proprie loquendo, ſiquidem a Dei amore abſtinere non poſſunt, cum in ſtatu juſtitiæ & ſanctitatis immutabiliter ſint conſtituti.

Circa libertatem duæ occurrunt quæſtiones. 1. in quo conſiſtat; 2. utrum exiſtat in homine.

QUÆSTIO I.

In quo conſiſtat Libertatis eſſentia.

EA de quæſtione duæ potiſſimum ſunt in Scholis ſententiæ. 1. Libertatis proprie dictæ eſſentiam conſtituit in æquilibrio *potentiæ* ſeu *virium*; illud autem in eo ſitum eſt, quod voluntas, licet inæqualibus gratiæ & concupiſcentiæ motibus impulſa, in bonum aut malum ſeſe flectere æqualiter valeat, ita nimirum ut liberum

ar-

arbitrium gratia vel minima adjutum in ſe vires habeat ſuperandis vehementiſſimæ concupiſcientiæ motibus pares & æquales. 2. Sententia libertatis naturam reponit *in indifferentia contradictionis activa*, ſive in poteſtate agendi vel non agendi.

PROPOSITIO I.

Homo in præſenti naturæ lapſæ ſtatu vires non habet ad bonum aut malum æquales; neque in hujuſmodi æquilibrio conſiſtit Liberi arbitrii eſſentia.

Prob. 1. Ex intimo ſenſu & experientia: conſcii enim ſumus multa nos per liberum arbitrium poſſe facere, ad quæ præſtanda æqualem non habemus potentiam. Quis, v. g. non ſentit in ſua poteſtate eſſe agere plurima quæ ipſum omnium deſpectui & ludibrio exponerent? Quis neget poſſe avarum ſuas opes effundere, aut lucrum certum & honeſtum rejicere, quod abſque ullo labore comparandum ipſi offertur? Quis neget poſſe hominem ſuperbum, ſi vellet, ea palam revelare, ex quibus æterna ſibi inureretur infamia? Quis neget poſſe hominem voluptatibus deditum, corpus ſuum duris pœnitentiæ laboribus affligere? atqui tamen nemo ſanus dixerit, ad iſta ſexcentaque ejuſdem generis alia vel facienda, vel non facienda, parem voluntati ineſſe potentiam. Ubi enim nobis inolevit aliquid faciendi habitus longaque conſuetudo, nonne validiorem ad illud, quam ad oppoſitum potentiam habet voluntas? Quamvis igitur in memoratis exemplis adſit libertas ad utrumque oppoſitum, non tamen æqualis adeſt ad utrumlibet potentia; ac proinde ad libertatis eſſentiam non pertinet potentiæ viriumque ad utrumlibet æqualitas.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino: definit enim ſacra Synodus liberum arbitrium pri-

mi parentis peccato non fuiſſe *extinctum* quidem, ſed *inclinatum tamen*, *infirmatum & viribus attenuatum*. (*Seſſ. 6. de juſtif. cap.* 1.) Atqui profecto liberum arbitrium Adami peccato non fuit inclinatum & viribus attenuatum, ſi æqualem habeat ad bonum & malum potentiam.

Et certe hominis lapſi voluntas in eo ſyſtemate dici non poteſt infirma, niſi vel quia ipſi opus eſt gratiæ auxilio, vel quia potentiori gratia indiget, quam hominis ſani & innocentis voluntas: atqui dici non poteſt infirma ex eo quod ipſi opus ſit gratiæ auxilio, ſiquidem eo indigebat hominis etiam innocentis & integri voluntas; infirma etiam non dicenda eſt ex eo quod ipſi neceſſarium ſit potentius gratiæ auxilium; ſiquidem in opinione quam refellimus, gratia vel minima ſufficit ad ſuperandas quaslibet tentationes, & vincendos concupiſcentiæ motus vehementiſſimos; ergo in eo ſyſtemate infirma nullo modo dici poteſt hominis lapſi voluntas. Supponamus enim peccatorem gratia tenuiſſima & unius tantum gradus adjutum, ſuperare tentationem centum graduum, manifeſtum eſt voluntatem humanam in illa hypotheſi 99. gradus virium e ſuo penu depromere; ubinam ergo eſt illius infirmitas?

Prob. 3. ex illius opinionis conſectariis. Ex plurimis pauca ſeligimus. Inde ſequitur 1. parum curanda eſſe Scripturæ ſacræ præcepta, quibus jubemur cupiditates in arctum cogere, tentationes & peccandi occaſiones declinare: cur enim minuendis cupiditatibus, fugiendis tentationibus & peccandi occaſionibus tantum ſtudium impenderemus, ſi libero arbitrio ſemper adſit potentia cuique cupiditati & tentationi hic & nunc ſuperandæ par & accommodata?

Sequitur 2. non plus virium ineſſe juſtis, quam peccatoribus, & utroſque ad faciendum bonum, vitandumque malum, pariter eſſe expeditos, ſiquidem omnibus tum juſtis, tum pec-

cato-

catoribus præſto eſt æquilibrium potentiæ a libere arbitrio indivulſum.

Sequitur 3. ſupervacaneum eſſe orare, ne tentationi pulſati ſuccumbamus. In oratione enim continetur propriæ infirmitatis confeſſio, & auxilii quo indigemus imploratio: qua vero ſinceritate infirmum ſe profitebitur, divinamque opem expoſcet, qui perſuaſum habuerit ſibi vires ineſſe vincendæ cuilibet tentationi ſemper pares? Orat Eccleſia pro peccatoribus, ut a peccati vinculis ſoluti veram conſequantur libertatem: quam, quæſo, libertatem, ſi eorum voluntas non minus potentiæ ad bene quam ad male agendum habeat?

Sequitur 4. poſſe abſque gravi incommodo peccatores vitam in criminibus ſecure tranſigere; cum enim plenam & integram ad Deum ſeſe convertendi, quando voluerint, potentiam ſemper habeant & habituri ſint, cur peccata, quibus delectantur, cito desererent, niſi forte metu mortis adeo ſubitæ, ut ne momentum quidem temporis ad reſipiſcendum ipſis relinquat?

Ex iis omnibus apertum eſt ad liberi arbitrii eſſentiam non pertinere æquilibrium potentiæ, ſeu virium.

PROPOSITIO II.

Eſſentia libertatis ſita eſt in poteſtate agendi vel non agendi.

Prob. IN eo conſiſtit libertatis eſſentia quod requiritur, & ſufficit ad eam conſtituendam: atqui ita ſe habet poteſtas agendi vel non agendi. 1. Quidem ad libertatem requiritur: proprie enim liber eſſe non concipitur, niſi qui ſuos in actus dominium habet: atqui, ſublata poteſtate agendi vel non agendi, tollitur in actus dominium: in eo quippe ſitum eſt, ut aliquis pro ſuo arbitrio vel agat vel non agat: atqui

ſine facultate agendi vel non agendi, quiſque neceſſitate conſtrictus, non autem pro ſuo libitu, agit vel non agit; ergo 1. ad libertatem requiritur poteſtas agendi vel non agendi.

2. Ad eam conſtituendam ſufficit. Libertas enim eſt facultas eligendi: atqui facultatem hanc ſibi adjunctam habet poteſtas agendi vel non agendi. Ea quippe poſita, concipitur homo poſſe agere, vel non agere: atqui inter agere vel non agere locum habet vis eligendi, ut patet; ergo 2. &c. ergo, &c.

Dices: Libertas eſt hominis perfectio: atqui poteſtas agendi vel non agendi, nedum ſit perfectio, aliquid vitii arguit; ergo in ea non conſiſtit libertas.

Reſp. Neg. min. Illud perfectionis nomine merito inſigniendum eſt, quod ſuam ex voluntatis amplitudine ducit originem: atqui facultas agendi vel non agendi ſuam, &c. Idcirco enim quodcumque bonum menti ſeſe offerat, illud amplecti vel rejicere poteſt, quia nullum exiſtit in hac mortali vita bonum, quod ipſius capacitatem expleat, totamque exhauriat.

Inſt. Poſita facultate non agendi, omitti poteſt actus, qui ſit perfectio: quod ſane vitium eſt; ergo facultas non agendi aliquid vitii ſecum importat.

Reſp. Diſt. conſeq. Ergo facultas non agendi aliquid vitii ſecum importat, ſi ſola ſit, conc. ſi conjuncta ſit cum agendi potentia, neg.

Porro agendi poteſtas & non agendi potentia in conſtituenda libertate indivulſæ ſunt comites; vel potius una eademque ſunt facultas, vi cujus poteſt voluntas vel in actum proſilire, vel ab eo ſe continere.

Obſervatio.

Homini, quandiu in terris peregrinatur, ineſt quidem libertas *contrarietatis*, qua poſſit bene vel male agere, ut quiſque ſibi conſcius eſt:

ne

nè tamen exiſtimes male agendi, ſive peccandi potentiam ad libertatis eſſentiam pertinere; unde ſit ſequens propoſitio.

PROPOSITIO III.

Potentia peccandi ad libertatis eſſentiam non pertinet.

Prob. 1. ILlud ſolum ad libertatis eſſentiam pertinet, quod in omnibus libertate præditis reperitur: atqui potentia peccandi in his omnibus non reſidet qui libertate pollent. Deus enim procul dubio perfectam habet libertatem: atqui tamen ab eo prorſus exulat peccandi potentia; ergo, &c.

Prob. 2. Quod liberi arbitrii imperfectio eſt, ad ipſius eſſentiam non pertinet: atqui potentia peccandi; &c. in eo quippe ſita eſt liberi arbitrii perfectio, ut in objectum ſuum proprium, ſcilicet bonum, prompte & expedite ſeſe ferat, utque finem ſuum aſſequatur & in eo quieſcat: vitium autem eſt, ſi objecto & fini ſuo non firmiter adhæreat: atqui potentia peccandi voluntatem in proſequendo ſuo bono remoratur, & obſtat, ne ſuo fini ultimo, qui Deus eſt, immobiliter inhæreat. Præterea quod ſuam ex ſola cognitionis & amoris debilitate originem ducit, id liberi arbitrii imperfectio, minime vero natura cenſeri debet: atqui potentia peccandi ſuam, &c. Ideo quippe Deum deſerere & malum amplecti poſſumus, quia Deum nec perſpicue & perfecte cognoſcimus, nec quantum diligi debet, diligimus. Idcirco in patria, ubi Deus & in ſeipſo videbitur, & toto voluntatis impetu amabitur, penitus ceſſabit peccandi facultas, non per alicujus boni amiſſionem, ſed per ſummi boni poſſeſſionem; ergo quod in hac vita peccare poſſimus, liberi arbitrii imperfectio eſt, non illius natura. Hinc illa S. Auguſtini interrogatio: *Quid erit*

liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato? (Lib. de corrept. & grat. cap. 11. num. 32.

QUÆSTIO II.

Utrum exiſtat in homine libertas.

QUamvis invictum libertatis argumentum ſuo in animo quiſque gerat, in eam tamen de medio tollendam multi varias ob cauſas conjurarunt. Nempe 1. Stoici, qui fati neceſſitatem admittebant; 2. Manichæi, qui hominem ad bonum aut malum, a principio ſumme bono vel malo impelli docuerunt. 3. Aſtrologi judiciarii, qui in diverſos ſyderum influxus humanas refundebant actiones. 4. Lutherani & Calviniſtæ, qui pronuntiant hominem ad bonum per gratiam, & malum vero per concupiſcentiam protrudi vi quadam ineluctabili. Denique miſerrimis hiſce temporibus non deſunt ſcriptores impii, qui ad bonum vel malum hominem ferrea quadam neceſſitate pertrahi contendant. Adverſus eos omnes ſit

PROPOSITIO.

Exiſtit in homine proprie dicta libertas agendi vel non agendi.

ARGUMENTUM I.

Ex Senſu intimo.

EA libertas in homine agnoſcenda, eſt quam teſtatur ſenſus intimus, cujus teſtimonium parere certitudinem inconcuſſam in Logica demonſtravimus: atqui teſtatur ſenſus intimus, nobis ineſſe libertatem agendi vel non agendi: unuſquiſque enim ſibi conſcius eſt, ita quædam ſe agere, ut poſſit ea non agere. Ex. g. mihi

mihi intime conſtat me deambulationem ita velle, ut poſſim nolle; quod adeo verum eſt, ut deambulationem in anteceſſum diſponam & prædicere valeam. Hinc ea Boſſuet verba in tractatu de libero arbitrio. *Que chacun de nous s'écoute & ſe conſulte ſoi-même; il ſentira qu'il eſt libre, comme il ſentira qu'il eſt raiſonnable. En effet nous mettons une grande différence entre la volonté de être heureux & la volonté d'aller à la promenade. Car nous ne ſongeons ſeulement pas, que nous puiſſions nous empêcher de vouloir être heureux; & nous ſentons clairement, que nous pouvons nous empêcher d'aller à la promenade. De même nous délibérons & nous conſultons en nous-même, ſi nous irons à la promenade, ou non, & nous réſolvons, comme il nous plait, ou l'un ou l'autre: mais nous ne mettons jamais en délibération, ſi nous voulons être hereux ou non: ce qui montre que, comme nous ſentons que nous ſommes néceſſairement déterminés par notre nature même à deſirer d'être heureux, nous ſentons auſſi que nous ſommes libres à choiſir les moyens de l'être.* (Chap. 2.

Et certe nemo eſt qui, perpetrato ſcelere, conſcientiæ ſtimulos non experiatur, & ſeipſum non accuſet: atqui ii conſcientiæ aculei, interni illi dolores & cruciatus, quibus nocens quiſque ſeipſum condemnat, non aliunde proficiſcuntur, quam ab intimo libertatis ſenſu: quis enim unquam in iis ſeipſum condemnat, quæ vitare non potuit; quis actionibus per ſomnum vel delirium factis cruciatur? Quis, ubi in primis motibus uſum rationis prævenientibus aliquid indecori ſibi excidit, reum ſe fatetur & exiſtimat? Quis non potius tunc extra culpam ſe eſſe non cauſatur? Ergo e contrario nonniſi ex intimo & vivido libertatis ſenſu naſcuntur dolores & ſtimuli, quibus poſt commiſſum ſcelus pungimur; ergo, &c.

liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato? (*Lib. de corrept. & grat. cap.* 11. *num.* 32.

QUÆSTIO II.

Utrum exiſtat in homine libertas.

QUamvis invictum libertatis argumentum ſuo in animo quiſque gerat, in eam tamen de medio tollendam multi varias ob cauſas conjurarunt. Nempe 1. Stoici, qui fati neceſſitatem admittebant; 2. Manichæi, qui hominem ad bonum aut malum, a principio ſumme bono vel malo impelli docuerunt. 3. Aſtrologi judiciarii, qui in diverſos ſyderum influxus humanas refundebant actiones. 4. Lutherani & Calviniſtæ, qui pronuntiant hominem ad bonum per gratiam, & malum vero per concupiſcentiam protrudi vi quadam ineluctabili. Denique miſerrimis hiſce temporibus non deſunt ſcriptores impii, qui ad bonum vel malum hominem ferrea quadam neceſſitate pertrahi contendant. Adverſus eos omnes ſit

PROPOSITIO.

Exiſtit in homine proprie dicta libertas agendi vel non agendi.

ARGUMENTUM I.

Ex Senſu intimo.

EA libertas in homine agnoſcenda, eſt quam teſtatur ſenſus intimus, cujus teſtimonium parere certitudinem inconcuſſam in Logica demonſtravimus: atqui teſtatur ſenſus intimus, nobis ineſſe libertatem agendi vel non agendi: unuſquiſque enim ſibi conſcius eſt, ita quædam ſe agere, ut poſſit ea non agere. Ex. g. mihi

mihi intime conſtat me deambulationem ita velle, ut poſſim nolle; quod adeo verum eſt, ut deambulationem in anteceſſum diſponam & prædicere valeam. Hinc ea Boſſuet verba in tractatu de libero arbitrio. *Que chacun de nous s'écoute & ſe conſulte ſoi-même, il ſentira qu'il eſt libre, comme il ſentira qu'il eſt raiſonnable. En effet nous mettons une grande différence entre la volonté d'être heureux & la volonté d'aller à la promenade. Car nous ne ſongeons ſeulement pas, que nous puiſſions nous empêcher de vouloir être heureux; & nous ſentons clairement, que nous pouvons nous empêcher d'aller à la promenade. De même nous délibérons & nous conſultons en nous-même, ſi nous irons à la promenade, ou non, & nous réſolvons, comme il nous plait, ou l'un ou l'autre: mais nous ne mettons jamais en délibération, ſi nous voulons être herêux ou non: ce qui montre que, comme nous ſentons que nous ſommes néceſſairement déterminés par notre nature même à deſirer d'être heureux, nous ſentons auſſi que nous ſommes libres à choiſir les moyens de l'être.* (Chap. 2.

Et certe nemo eſt qui, perpetrato ſcelere, conſcientiæ ſtimulos non experiatur, & ſeipſum non accuſet: atqui ii conſcientiæ aculei, interni illi dolores & cruciatus, quibus nocens quiſque ſeipſum condemnat, non aliunde proficiſcuntur, quam ab intimo libertatis ſenſu: quis enim unquam in iis ſeipſum condemnat, quæ vitare non potuit; quis actionibus per ſomnum vel delirium factis cruciatur? Quis, ubi in primis motibus uſum rationis prævenientibus aliquid indecori ſibi excidit, reum ſe fatetur & exiſtimat? Quis non potius tunc extra culpam ſe eſſe non cauſatur? Ergo e contrario nonniſi ex intimo & vivido libertatis ſenſu naſcuntur dolores & ſtimuli, quibus poſt commiſſum ſcelus pungimur; ergo, &c.

ARGUMENTUM II.

Ex unanimi populorum conſenſu.

APud omnes populos præmia ſunt virtuti propoſita, & pœnæ vitio impoſitæ; apud omnes vigent fœdera, contractus, leges; apud omnes in uſu ſunt preces, adhortationes, minæ: atqui hæc omnia probant, univerſis populis perſuaſum eſſe, homines vera præditos eſſe libertate agendi vel non agendi. Quorſum enim contractus, ſi pactorum fides neceſſario ſervetur aut frangatur? Numquid fatalis neceſſitas qua homines conſtringerentur, non eſſet quocumque contractu fortior? Quorſum fœdera quæ eadem neceſſitate violarentur, qua fuiſſent inſtituta? quorſum leges iis imponerentur, quos regit fatum quoddam ineluctabile? Quid inutilius quam preces, minas, hortationes erga eos adhibere, qui ad virtutem aut vitium vi quadam inſuperabili pertrahuntur? Quid utilius, quam præmia bonis, & penas malis decernere, quos, non voluntas, ſed invicta neceſſitas, bonos facit vel malos? ergo, &c.

ARGUMENTUM III.

Ex juſtitia Dei.

EA libertas admittenda eſt, qua ſublata, Deus non eſſet juſtus, virtutem remunerando & ſcelus puniendo: atqui, ſublata libertate agendi vel non agendi, Deus non, &c. in eo quippe ſita eſt Dei juſtitia ut reddat unicuique pro ſuo merito vel *demerito*: atqui niſi in homine ineſſet libertas, Deus virtutem mercede, & vitium pœnis afficiendo, non redderet unicuique pro ſuo merito vel *demerito*; ſiquidem utrumque prorſus tolleretur. Ibi enim nullus datur merito vel *demerito* locus, ubi nihil eſt quod poſſit

aut

aut debeat imputari; atqui ſi libertate careant homines, nihil ipſis poteſt aut debet imputari. Tunc enim quidquid agunt, ita exequuntur, ut aliter agere nequeant, & mechanica quadam neceſſitate, ad hanc vel illam actionem impellantur; ergo, &c.

ARGUMENTUM IV.

Ex abſurdis oppoſitæ ſententiæ conſectariis.

Ex ſententia quæ negat homines eſſe liberos, ſequeretur 1. eos mera eſſe automata rationalia, quæ huc, illuc a cauſis neceſſariis impelluntur; 2. nullam eſſe in virtute laudem, nullumque in vitio probrum, flagitioſos homines, viroſque probos eodem loco eſſe habendos; 3. nullam eſſe rationem cur animo grato erga eos ſimus, qui nobis beneficia contulere; id enim non liberalitati, ſed neceſſitati adſcribendum eſt; 4. nullum prudentiæ & deliberationi locum ſupereſſe: quid enim eſſe poteſt ineptius, quam eâ deliberationi ſubjicere, quæ a nobis nullo modo pendent, & a cauſis neceſſariis in hanc vel in illam partem rapiuntur: atqui iis omnibus nihil abſurdius fingi poteſt; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Mens humana non poteſt eſſe libera, quin ſit activa: atqui non eſt activa; ergo nec libera.

Reſp. Neg. min. Errori obnoxium eſſe non poteſt ſenſus intimi teſtimonium, ut in Logica demonſtravimus; atqui teſtatur ſenſus intimus mentem noſtram eſſe activam; quando enim vult, amat, deſiderat, ipſam agere conſcii ſumus; ergo activam eſſe dubitare non licet; quemadmodum ex eo quod me cogitare, me exiſtere

ſentiam, abſque ulla errandi formidine, colligo me reipſa exiſtere & cogitare. Præterea penes mentis noſtræ arbitrium eſſe experimur, ut actus amoris, odii cohibeat, ſuſpendat, vel ſtatim eliciat, utque unum præ alio eligat: atqui illud experiri nequaquam poſſemus, niſi menti vis ineſſet, qua ſuos amores, ſua odia, ſuam electionem ad libitum efficeret; ergo, &c.

Inſtab. Etiamſi voluntas eſſet mere *paſſiva*, eoſdem amoris, odii, &c. ſenſus experiretur; ergo ipſam eſſe activam non probat ſenſus intimus.

Reſp. Neg. ant. Cum enim mens amat, odit, deſiderat, eas affectiones ex ſeipſa prodire ſibi conſcia eſt: atqui talem ſenſum non experiretur, ſi prædictas affectiones *paſſive* reciperet. Sic quia mens ſuarum ſenſationum non eſt cauſa efficiens, eas a ſeipſa naſci minime conſcia eſt.

Inſtab. Cum animus vult, amat, odit, id unum ſentit, nempe ſe velle, ſe amare, ſe odiſſe: atqui idem ſentiret, ſi præfatas affectiones *paſſive* reciperet; ergo etiamſi mere *paſſiva* eſſet, eumdem ſenſuum intimum experiretur.

Reſp. Neg. maj. Non illud unum ſentit animus, nimirum ſe velle, amare, odiſſe, &c. ſed præterea intimam habet conſcientiam, hujuſmodi affectiones ex ſe ipſo, & virtute ſibi propria naſci, ita ut eas pro ſuo arbitrio poſſit vel excitare, vel ſuſpendere, vel cohibere; atqui eo modo non afficeretur, ſi amorem, odium, &c. *paſſive* reciperet. Numquid pariter conſcius eſt, ſuas ſenſationes, v. g. caloris, frigoris, ex ſeipſo, vique ſibi indita ortum habere, ita ut poſſit eas pro ſuo nutu, vel excitare, vel ſuſpendere, vel extinguere? nequaquam, ut omnes confitentur. Quænam vero eſt illius diſcriminis cauſa, niſi quia mens ſenſationes *paſſive* recipit, non item alias affectiones?

Inſtab. Corporis noſtri motus a mente effici ſentimus, quamvis illud falſum ſit; ergo pariter

ter fieri poteſt ut ſentiamus amores noſtros, odia noſtra, ceteraſque affectiones a nobis eſſe, quamvis non ſint.

Reſp. Neg. ant. Conſcii quidem ſumus nos velle ut corpus noſtrum moveatur; animadvertimus etiam noſtris deſideriis reſpondere corporis motus, eos vero minime ſentimus. Ratio eſt, quia motus illi ſunt aliquid mentibus noſtris externum, ſenſus vero intimus animæ limites non prætergreditur, illiuſque internas tantum affectiones teſtatur; ſi quis ergo judicet motum corporis a voluntate phyſice produci, ultra ſenſus intimi teſtimonium excurrit, ut facile deprehendet quiſquis attento animo ſeipſum conſuluerit.

Inſtab. Etiamſi Deus omnes *volitiones* noſtras ſolus produceret, idem eſſet in nobis ſenſus intimus, quamvis earum cauſa efficiens non foret anima: ergo non probat ſenſus intimus mentem eſſe ſuarum *volitionum* cauſam efficientem. In exemplum affert Bayle bracteolam verſatilem, quæ ad omnem auram ſit mobilis, & cui imprimatur motus ſui deſiderium. Si a vento moveatur, & ignoret a vento ſe impelli, a ſeipſa moveri exiſtimabit.

Reſp. Neg. ant. In facta enim hypotheſi, id unum teſtaretur ſenſus intimus, nempe in nobis eſſe *volitiones*: nunc autem non tantum ſentit anima eas in ſe exiſtere, verum etiam illas a ſeipſa ortum ducere, ita ut pro ſuo libitu naſcantur vel intereant. Bracteola verſatilis, in abſurda hypoteſi quam fingit Bayle, ſentiret quidem ſe in motu poſitam eſſe; minime vero ſe motum illum vi ſibi inſita efficere, dirigere, ſuſpendere, ut idipſum de ſuis *volitionibus* ſentit anima.

Inſtab. ultimo: Actus voluntatis producere, tanquam cauſam efficiens, nihil aliud eſt, quam illos creare, ſive e nihilo educere: atqui ſolius Dei omnipotentis eſt, quidquam creare; ergo voluntas ſuos actus non producit, tanquam cauſa efficiens.

Reſp. Neg. maj. Creari enim id tantum proprie dicitur, quod e nihilo tum ſui, tum ſubjecti educitur. Porro voluntatis actus producuntur quidem e nihilo ſui, cum prius non exiſterent; minime vero producuntur e nihilo ſubjecti; ſiquidem exiſteret voluntas creata, quæ facultas eſt activa, ex qua & per quam eliciuntur.

Objic. Sentiri non poteſt libertas, quin ſentiatur potentia non agendi, etiam dum agimus: atqui dum agimus, ſentiri nequit potentia non agendi; ergo nec libertas.

Reſp. Neg. min. Dum enim agit homo, ſentit ita ſe agere, ut poſſit non agere; ſentit ſibi ineſſe cum actu junctam poteſtatem non agendi; ſentit ſe pro ſuo nutu, vique ſibi propria, hoc vel illud opus efficere. Re quidem vera, dum agimus, non poteſt actus non eſſe; ſed tantum intime conſcii ſumus hunc actum non exiſtere, niſi quia libere voluimus, ita ut penes nos eſſet illum omittere. Unuſquiſque propriam ea de re conſcientiam interroget, omniſque evaneſcet dubitatio.

Inſtab. Facultas ſentiri non poteſt, niſi per illius exercitium: atqui actus proprium non eſt potentiæ non agendi exercitium; ergo dum agimus, ſentiri nequit potentia non agendi.

Reſp. 1. Neg. maj. Namque multa in anteceſſum ſtatuimus in poſterum facienda, ac proinde nobis conſtat facultatem ipſam ante illius exercitium ſentiri. Et vero ſi ſerio contendis facultatem agendi vel non agendi ante ipſius exercitium non ſentiri, iſta ſponſione te provoco: circa utramque hanc partem contradictoriam, *mox cantabo*, *mox non cantabo*, electionem tibi permitto. Dic, ſi velis, me eſſe cantaturum, & ſponde mihi unum nummum, ſi non cantaverim; ego centum nummos tibi ſpondeo, ſi cantem: dic, ſi tibi magis libuerit, me non eſſe cantaturum, & unum nummum mihi promittas ſi cantaverim,

verim, ego tibi centum nummos polliceor ſi non cantem. Hæc conditio vel æqua tibi videtur, vel iniqua; ſi æqua, cur tamen eam nunquam accepturus es, niſi apud omnes habearis ut inſanus? ſi iniqua, quam ob cauſam? nonne quia tibi perſuaſum eſt, me conſcium eſſe facultatis cantandi vel non cantandi, priuſquam alterutrum elegerim, ac proinde ex meo arbitrio pendere victoriam?

Reſp. 2. Neg. min. Facultas enim agendi & non agendi, non duplex, ſed unica & ſimpliciſſima eſt potentia, quæ duabus æquivalet: hæc quippe nihil aliud eſt quam facultas ſeſe, prout libet, determinandi: atqui ejuſmodi facultas potentiam agendi & non agendi complectitur; ergo dum agit homo, intime ſibi conſcius eſt potentiæ ab actu abſtinendi.

Objic. 3. Ille non eſt liber, qui non poteſt eligere inter duo *media* æqualia, id eſt, quæ ad finem ſibi propoſitum pariter conducunt: atqui homo non poteſt eligere inter duo *media* æqualia; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Voluntas enim ex iſtis *mediis* poteſt unum eligere, quorum neutrum eam neceſſario determinat: atqui ubi occurrunt duo *media* æqualia, neutrum voluntatem neceſſario impellit, cum perinde finem ſuum aſſecutura ſit, ſive hoc, ſive illud, arripuerit. Præterea voluntas propoſitum finem amat efficaciter; ac proinde *medium* debet aſſumere quo finem ſuum obtineat: atqui non poteſt utrumque *medium* æquale ſimul amplecti; ergo unum præ alio eligat oportet.

Inſtab. Nulla eſt ratio cur voluntas unum *medium* alteri prorſus æquali anteponat; ergo non poteſt unum præ altero eligere.

Reſp. Diſt. ant. Nulla eſt ratio ex natura *mediorum* petita, conc. ant. nulla eſt ratio ex ipſo voluntatis arbitrio petita, neg. ant.

Itaque in caſu de quo agitur voluntas unum *medium* alteri æquali anteponit, quia vult finem

nem aſſequi, quod fieri non poteſt unum *medium* eligat, altero prætermiſſo; ſi quis igitur a me quæreret cur hoc potius quam illud aſſumam, non aliud ſuppeteret reſponſum, niſi quia *ſic volo, ſtat pro ratione voluntas*. Ridicule enim prorſus fingeretur voluntas, tanquam inſtrumentum *paſſivum* inter vires æquales in æquilibrio poſitum, quod abrumpere non valeat. Agendi facultate ſibi inſita pollet voluntas, quam exercere poteſt, vel eam ſolam ob cauſam, quod ita ſibi libuerit.

Inſtab. Ex reſponſo ſequeretur, dum voluntas unum *medium* præ altero æquali amplectitur; ſine ullo *motivo* ita ſe gerere: falſum conſequens; ergo & antecedens.

Reſp. Neg. maj. Voluntas enim unum *medium* præ alio æquali non eligit ſine ullo *motivo*, ſi ita agat ex amore finis quem intendit, & cui aſſequendo accommadatum eſt *medium* antepoſitum: atqui voluntas ex amore finis, &c. ergo, &c.

Inſtab. Amor ille finis quem ſibi proponit voluntas, non eam movet ad eligendum hoc potius quam illud *medium*, cum ambo pariter ad finem conducant; ergo amor ille dici non poteſt *motivum* propter quod voluntas unum præ altero eligat.

Reſp. Diſt. conſeq. Non eſt *motivum* integrum, conc. nullo modo mentem movet, neg. conſeq.

Itaque amor finis quem efficaciter intendit voluntas, eſt ratio propter quam voluntas unum *medium* præ alio æquali poſſit aſſumere; ſed ratio ultima propter quam illud aſſumat, altero neglecto, petitur ex ipſo voluntatis arbitrio: *Stat pro ratione voluntas. Il faut reconnoître dans la volonté même*, inquit Buffier, *une force & une vertu de ſe porter d'un côté plutôt que de l'autre. Pourvu que l'ame connoiſſe ſon objet; la volonté trouve d'elle-même, & en elle-même de quoi ſe déterminer, & ſe faire à elle-même*

ſon.

ſon propre & unique motif. Ainſi en chercher hors d'elle un autre qui lui ſoit néceſſaire, c'eſt chercher hors de la liberté, l'exercice même de la liberté.

Obj. 4. Ille non eſt liber, qui inter duo bona inæqualia non poteſt eligere: atqui homo inter duo bona inæqualia non poteſt eligere; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Licet enim ex duobus bonis unum voluntatem ſuavius invitet & alliciat, quam alterum, mens tamen nulla neceſſitate proprie dicta ad unum amplectendum trahitur. Ratio eſt, quia præter ſummi boni ſummæque felicitatis poſſeſſionem, nihil eſt quod naturale hominis deſiderium explere, ejuſque inconſtantiam ſiſtere omnino poſſit: hinc præclarum illud Auguſtini effatum: *Feciſti nos ad te (Deus), & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te:* quandiu ergo mortalem hanc vitam agimus, nullum eſt bonum, quod tanta delectatione voluntatem perfundat, ut immenſam ejus capacitatem exhauriat; in illud ergo proſequendum omnes vires ſuas non exerit voluntas, ideoque veram retinet hoc vel illud bonum eligendi potentiam, eamque non prius exuet, quam ſumma beatitudine perfruatur.

Inſtab. Ex duobus bonis inæqualibus voluntas neceſſario melius aſſumit, utpote ſuæ beatitudinis amans; ergo inter duo bona inæqualia vim eligendi non habet.

Reſp. Diſt. ant. Si melius ſit ſub omni reſpectu, conc. ſub aliquo tantum reſpectu, neg. ant.

Porro bonum quodlibet in terris ita plures habet boni & mali rationes admiſtas, ut ſub uno reſpectu majus, & ſub alio minus altero bono videatur. Sic poſt acceptam gravem offenſam, menti occurrunt duo bona oppoſita, vindicta nempe & condonatio. Prior exhibetur ut majus bonum, ſi concupiſcentiam conſulas; poſterior etiam proponitur ut majus bonum, ſi le-

legem Dei æternamque ſalutem ſpectaveris; ſi ergo voluntas neceſſario aſſumeret id quod melius eſt ſub aliquo reſpectu, cum ultio & condonatio injuriæ, pro variis reſpectibus ab intellectu exhibeantur ut duo meliora, mens deberet ſimul & ultionem & condonationem injuriæ amplecti: atqui id repugnat; ergo licet voluntas naturaliter ſit ſuæ beatitudinis amans, ad illud neceſſario non fertur, quod ſub aliquo tantum reſpectu melius eſt. Mens vero ex duobus bonis unum præ alio vi ſibi indita eligens, illud ipſa ſua electione deliberata ſuum melius bonum efficit, illudque fit ipſi delectabilius, quod antepoſitum voluit.

Obj. 5. Homines ſæpe agunt ex inveteratis habitibus, aut vehementiore quodam affectu: atqui tunc nulla eſt libertas; omnes igitur actus humani non ſunt liberi.

Reſp. Neg. min. Homines quidem habitu priſtino, vel immoderata cupiditate, veluti quodam pondere, in unam partem magis quam in alteram inclinantur: ſed tamen etiam tunc libertate pollent; unum enim præ alio eligere poſſunt, ut cuique per ſenſum intimum innoteſcit. Præterea ſi libertate careant, ideoque non peccent, qui male agunt ex habitu; ergo per frequentes & repetitos libertatis abuſus acquiri poterit legem divinam impune violandi privilegium; ergo leviori ſaltem pœna digni erunt peccatores indurati & excæcati, quam ii qui nondum omni ſupremi Numinis metu ſoluti ſunt; hæc vero conſectaria rationem ſimul & Religionem offendunt; ergo, &c:

Inſtab. Libertas, ſeu vis eligendi, aliquam poſtulat deliberationem: atqui nulla eſt deliberatio in iis qui agunt ex habitu aut vehementi quodam affectu; ergo nulla quoque eſt libertas.

Reſp. 1. Tranſeat major quam negant multi: Deliberatio, inquiunt, proprie dicta eſt animi incerti & fluctuantis inquiſitio, eo ſpectans ut di-

diſcernat quid ſibi agendum ſit: atqui hæc animi incerti & incipitis inquiſitio ad liberi arbitrii exercitium non requiritur, utpote quæ non adhibeatur, niſi ex rationis infirmitate & imperfectione. *Dubitatio, ſive inquiſitio,* inquit S. Thomas, *non per ſe pertinet ad electionem, ſed ſolum ſecundum quod eſt in natura ignorante.* (*Part.* 3. *quæſtione* 18. *art.* 4. *ad* 2.)

Nonne Deus mundum libere condidit? numquid autem ad illum creandum deliberatione opus habuit? Nonne Chriſtus libere Patris ſui voluntatem implevit? Quis vero putet eum prius hæſitaſſe ac deliberaſſe utrum divinæ voluntati obtemperaret?

Et ſane nos ipſi, quamvis in hujus vitæ caligine conſtituti, ſæpe opus habeamus inquiſitionem & conſilium noſtris actibus præmittere, plurima tamen ex libera electione agimus citra ullam præviam deliberationem: ſic avarus, oblata ſibi opportuna pecuniam honeſte comparandi occaſione, non deliberat, ſed eam confeſtim arripit; ſic homo ſincere Chriſtianus non deliberat an mandatis divinis obſecuturus ſit; ſic tandem nemo mente & corpore ſanus deliberat utrum alimentis ſibi apparatis uſurus ſit, ubi menſæ accumbendi tempus advenit; & tamen hujuſmodi actus libere fieri quis neget?

Reſp. 2. Diſt. maj. Libertas, ſeu vis eligendi poſtulat deliberationem vel lentam vel celerem, conc. maj. lentam ſemper, neg. maj. diſt. par. min.

Porro qui agunt ex habitu, non lente quidem, at celeriter deliberant: unum quippe, ſcilicet objectum habitus, præ alio eligunt: atqui unum præ alio nequeunt aſſumere, quin deliberationem aliquam, ſaltem promptam & expeditam, adhibeant. Electio enim fieri non poteſt, quin mens noſtra duo ſecum invicem conferat, unumque alteri anteponat: atqui

ad

ad illud requiritur aliqua deliberatio; ergo qui agunt ex habitu, aliqua utuntur deliberatione.

Objic. 6. Quamvis homo non eſſet liber, non idcirco inutilia forent præmia & pœnæ; hæc enim incitamenta homines poſſunt vi ineluctabili ad bonum impellere: ſic belluis, quamvis libertate carentibus, grata quædam rependi, & pœnæ infligi ſolent, quia iis neceſſario moventur ad obſequium homini præſtandum; ergo non valet argumentum ex eo petitum, quod ſublata libertate, inutile eſſet præmia & pœnas decernere.

Reſp. Licet in hypotheſi neceſſitatis ineluctabilis, merces & pœna cujuſdam forent utilitatis (quod hic non expendimus), neque tamen hæc viris probis, tanquam merentibus, neque illa ſceleſtis, tanquam reis & peccantibus, decerni poſſet: tunc enim nihil prorſus eſſet meriti: atqui tamen in ſocietate qualibet, præmia viris probis, tanquam ea merentibus, rependi, & pœnæ ſceleſtis, tanquam reis & peccantibus, infligi, ſolent; non vero tantum ut homines mechanicis legibus ad bonum impellantur, & a malo deterreantur: qua in re genus humanum erraſſe quis auſit dicere? Quod ſpectat ad belluas, certum eſt non ipſis infligi pœnas, tanquam meriti aut peccati capacibus; ruit igitur objecta comparatio.

ARTICULUS II.

De Conſcientia.

Agemus 1. de conſcientia generatim; 2. de variis ejus ſpeciebus:

PA-

PARAGRAPHUS I.

De Conſcientia generatim ſumpta.

CONſcientia eſt intimum animi judicium, de actionis cujuſque bonitate aut pravitate pronunciantis. Judicis & teſtis munere fungitur. Illius eſt nos approbare & abſolvere, ſi bene agimus. *Conſcientia bene acta vitæ*, ait Tullius, *multorumque beneſactorum recordatio jucundiſſima eſt*. (*de Senectute.*) -- *Hic murus aheneus eſto*, inquit Horatius, *nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa*. (*Epiſt. I. lib. I.*) Contra vero ſi male agimus, conſcientia intus arguit, condemnat, mentemque ſtimulis vexat acerbiſſimis, quidquid reclamet adulatorum grex peſſimus. Quam veritatem ſic deſcribit Poeta:

De ſes remords ſecrets triſte & lente victime,
Jamais un criminel ne s' abſout de ſon crime.
Le cruel repentir eſt le premier bourreau,
Qui dans un cœur coupable enfonce le couteau.
Des chagrins dévorans attachés ſur Tibere,
La cour de ſes flatteurs veut en vain le diſtraire.
Maître du monde entier, qui peut l' inquieter?
Quel juge ſur la terre a-t-il à redouter?
Cependant il ſe plaint, il gémit, & ſes vices
Sont ſes accuſateurs, ſes borreaux, ſes ſupplices.
Toujours ivre de ſang, & toujours altére,
Enfin par ſes forfaits au déſeſpoir livré,
Lui-même étale aux yeux du Sénat qu' il outrage,
De ſon cœur déchiré la déplorable image.
Il périt chaque jour conſumé de regrets,
Tyran plus malheureux que ſes triſtes ſujets.
(Poeme de la Religion, *Cant. I.*)

Quæres an conſcientia ſit morum regula ita certa & incorrupta, ut malum ſit quidquid contra eam agitur, bonum vero quidquid, ipſa dictante, geritur.

Ad ſolvendam hanc quæſtionem, ſit

PRO-

ſcientiam errantem, fit, non ideo malum dicimus; quod hujuſmodi conſcientia ſit morum regula. Illud quippe nomen merito non obtinet, niſi legi divinæ conſentiat: ſed ideo peccatur, quia nemo poteſt, conſcientia reluctante, agere, quin peccandi voluntatem habeat; quæ ipſa non ſine culpa eſt.

Objic. 2. Si quis peccet dum contra conſcientiam errantem agit, eam ſequi tenebitur: atqui ridiculum eſt teneri aliquem conſcientiam ſequi errantem; ergo contra eam agendo non peccat.

Reſp. neg. maj. Qui enim conſcientiam habet errantem, nec contra, nec juxta eam agere debet: ſed inter utrumque illud extremum datur aliquid medii; tenetur ſcilicet errorem ſuum exuere, & falſum conſcientiæ judicium emendare. Quod ut aſſequatur debet orare Deum, rem totam accurate expendere, libros qui eam pertractant diligenter legere, doctos pioſque viros conſulere.

Objic. 1. adverſus 2. propoſitionis partem: Si quod agitur juxta conſcientiam errantem, eſſet aliquando peccatum, & qui hujuſmodi conſcientia laborat, neceſſario peccaret: ſive enim conſcientiæ judicio pareat, ſive reſiſtat, haud dubie peccabit: atqui nemo ex neceſſitate peccat; ergo quod agitur juxta conſcientiam errantem, nunquam peccatum eſt.

Reſp. Neg. maj. Licet enim homini conſcientia errante laboranti undique ſint anguſtiæ, & certo peccaturus ſit, quamdiu in illo ſtatu verſabitur, ipſi tamen non incumbit vera proprieque dicta peccandi neceſſitas: namque poteſt conſcientiæ errorem emendare, Ex. g. qui falſo credit proximo ſubveniendum eſſe per mendacium, quamdiu ſtabit error ille, haud dubipeccabit, ſive mentiatur, ſive non; ſed tamen vera non conſtringitur peccandi neceſſitate: poteſt enim & debet ſuum errorem depellere, ſive peritiores conſulendo, ſive rem maturius diligentiuſque introſpiciendo.

Objic.

Objic. 2. Quod agitur contra conſcientiam errantem, ſemper malum eſt: ergo e contrario quod juxta eamdem conſcientiam agitur, ſemper bonum eſt.

Reſp. Neg. conſeq. Sicut enim in dialecticis duæ propoſitiones contrariæ poſſunt eſſe falſæ, ut iſtæ, *omnis homo eſt doctus; nullus homo eſt doctus*; ita in moralibus duo contraria poſſunt eſſe ſimul mala. Cujuſmodi ſunt tum ea quæ contra conſcientiam errantem aguntur, tum ea quæ juxta eamdem fiunt. Qui enim agit, reclamante conſcientia, id ipſum facit quod illicitum eſſe intima animi perſuaſione judicat, ac proinde vult & amat peccatum; qui vero errorem conſcientiæ vincibilem ſequitur, ideo peccat, quod ex ignorantia quam depellere poteſt & debet, rem faciat a lege prohibitam.

Præterea quod agitur contra errantem conſcientiam, ideo ſemper malum eſt, quia nemo rectam intentionem habere poteſt in iis quibus reluctatur conſcientia: jam vero intentio prava malam efficit actionem, etiam ex natura ſua laudabilem; ſiquidem ex vulgari axiomate, *malum ex quocumque defectu*. Quod autem juxta conſcientiam errantem geritur, quamvis bona intentione fiat, non ideo bonum evadit: objectum enim actionis ex ſe malum eſt, legique divinæ contrarium. Porro, juxta tritum axioma, *bonum ex integra cauſa*, ſive repetendum eſt ex recta intentione, ex objecto laudabili, ex legitimis circumſtantiis; ergo ex eo quod ſemper malum ſit quod agitur contra errantem conſcientiam, inferre non licet bonum eſſe, quod juxta eamdem geritur.

PA-

PARAGRAPHUS II.

De Conſcientiæ diviſionibus.

CONſcientia dividitur 1. in *veram* ſeu *rectam*, quæ dictitat licitum aut illicitum eſſe, quod reipſa tale eſt; & in *falſam* ſive *errantem*, quæ vel licitum & bonum judicat, quod illicitum & malum eſt, vel quæ vetitum & malum pronuntiat, quod legi eſt conſentaneum. Ubi error conſcientiæ depelli poteſt, dicitur *vincibilis*; quando ſuperari non poteſt, debitam adhibendo diligentiam, appellatur *invincibilis*. Ex iis autem quæ de ignorantia ſupra diximus, ſatis patet 1. nihil eſſe peccati in iis quæ fiunt ex conſcientia, cujus error eſt invincibilis; 2. conſcientiam cujus error corrigi poteſt & debet, a peccato non excuſare.

2. Conſcientia dividitur in *latam* & *ſcrupuloſam*. *Lata* dicitur ea quæ ex levibus tantum cauſis, cupiditati faventibus, licitam eſſe actionem judicat, vel quæ pro levi peccato habet quod graviſſimum exiſtimari debet.

Conſcientia *ſcrupuloſa* quæ *latæ* opponitur, ea eſt quæ futilibus conjecturis & ratiunculis ducta, anxie & ſollicite timet, ne mala ſit actio. Sic appellatur, quia ſicut *ſcrupus*, ſive lapillus aſper pedem lædit, & obſtat ne quis libere incedat. Ita conſcientia *ſcrupuloſa* inquietam animi anxietatem parit, & impedit ne quis viam mandatorum Dei libere & expedite decurrat, dum in ipſomet bono latentes mali quaſi fibras ſuſpicatur. Hujuſmodi conſcientia laborantibus maxime ſuadendum eſt, ut pii cujuſdam peritique viri ductu regi ſe patiantur, & ipſius conſiliis dociles & obſequioſi pareant. Cum ſcilicet hoc genus homines animum habeant, anxiis ſuſpicionibus perturbatum & impeditum, non ſuo, ſed alieno judicio, ſtare debent.

3. Con-

3. Conſcientia dividitur in *certam*, *dubiam & probabilem*. *Certa* eſt, cum prudenter & ſine ullo errandi periculo probabili, judicat aliquid licitum eſſe vel illicitum, bonum vel malum. *Dubia* eſt, quando rationibus oppoſitis ita libratur, ut ignoret utrum actio quædam licita ſit an illicita. Tandem conſcientia *probabilis* dicitur ea quæ actionem aliquam bonam aut malam eſſe judicat ex argumentis veriſimilibus quidem, ſed quæ non omnem excludunt errandi formidinem.

Cum vero de conſcientia *dubia* & *probabili* nonnulla ſint, quorum maxime utilis eſt cognitio, de utraque duplici in ſectione differendum eſt.

SECTIO I.

De Conſcientia dubia.

Tutiſſimam regulam cui firmiter adhærere debeat, qui conſcientiam habet dubiam, ſtatuet ſequens

PROPOSITIO.

Qui conſcientiam habet dubiam, ab actu debet abſtinere, ſi nulla urgeat agendi neceſſitas; quæ ſi adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

Prob. 1. pars: Non licet peccandi periculo ſeſe objicere; *qui enim amat periculum, in illo peribit.* (*Eccli.* 3. 27.) Atqui peccandi periculo ſeſe exponit, qui in dubio citra ullam neceſſitatem agit: namque illi peccandi diſcrimen adit, qui agit temere, nullamque certam habet regulam, qua deprehendat, utrum juſtum ſit an iniquum quod operatur: atqui ita ſe habet qui in dubio, ſine ulla neceſſitate agit; ergo in peccandi periculum incurrit.

Prob. 2. pars: Ad licite agendum requiritur ut

ut prudenter judicemus nos minime eſſe peccaturos; atqui cum dubitans eam partem ſequitur, quam minus tutam exiſtimat, prudenter judicare non poteſt, nihil eſſe peccati pertimeſcendum: imo longe magis ſibi conſcius eſt ſe peccaturum; ut res ipſa clamat; ergo, &c.

Præterea non minus caute nos gerere debemus in iis quæ ad ſalutem æternam pertinent, quam in rebus temporalibus: atqui ubi agitur de negotiis temporalibus, imprudens & temerarius haberetur, qui in dubio partem minus tutam eligeret, dum tutiorem amplecti poteſt; ergo longe magis temere & ſtulte agere, ac proinde peccare, cenſendus eſt quiſquis in ſalutis æternæ negotio, partem minus tutam amplectitur; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Si in dubiis pars tutior eſſet eligenda, teneremur a nonnullis actionibus abſtinere, quæ nulla lege prohibentur; ſæpe enim dubitamus utrum actus ſit licitus, quem nulla lex vetat: atqui nemo tenetur ab iis actibus abſtinere quos nulla lex prohibet; ergo in dubiis minime neceſſe eſt partem eligere tutiorem.

Reſp. 1. Retorqueo argumentum: ſi in dubiis liceret partem minus tutam ſequi, non teneremur a plurimis actionibus abſtinere quas divina lex vetat: ſæpe enim dubitamus utrum actus ſit licitus, qui revera prohibetur lege divina: atqui tamen abſurde diceretur non abſtinendum eſſe ab iis actionibus quas divina lex interdicit; ergo in dubiis nunquam licet partem minus tutam anteponere.

Reſp. 2. Diſt. maj. Teneremur a nonnullis actionibus abſtinere quæ nulla lege ipſas ſpectante prohibentur, conc. maj. quæ nulla lege ipſum dubitantem ſpectante prohibentur, neg. maj. diſt. parit. min. Atqui nemo tenetur ab iis actibus abſtinere, qui nulla lege tum ipſos,

tum dubitantem ſpectante prohibentur, conc. min. nemo tenetur ab iis actionibus abſtinere quæ nulla lege ipſas ſpectante prohibentur, neg. min.

Fateor equidem nullum nobis incumbere officium ab iis abſtinendi actibus qui nulla lege, ſive ad eos actus, ſive ad ipſum dubitantem pertinente, prohibentur: ſed tenemur in dubiis quaſdam actiones omittere, quamvis nulla lege eas afficiente interdicantur; tenemur, inquam, vi legis quæ in ipſum dubitantem cadit: hæc autem lex quam recta ratio, quam Religio imponit, ita ſe habet: nihil agendum eſt quod dubites juſtum ſit, an iniquum.

Inſtab. Dubitans non iis obligatur legibus quarum immunis eſt qui non dubitat; ſed qui minime dubitat, non tenetur ab iis actionibus abſtinere quæ nulla lege ipſas ſpectante prohibentur; ergo nec ille qui dubitat.

Reſp. Neg. maj. Sicut enim qui errat, nonnullis obſtringitur legibus, quæ ad eum non pertinent, qui non errat; ſicut etiam qui ſcrupulis laborat, quibuſdam ſubjicitur regulis quæ ad eum non ſpectant, qui ſcrupulis minime urgetur: ita etiam dubitans certis obligatur legibus, a quibus liber ſolutuſque eſt qui non dubitat: qui enim dubiam & ancipitem habet conſcientiam, tenetur peccandi periculum effugere, quod cognoſcit, quodque cavere poteſt; contra vero qui non dubitat, ſed moraliter certus eſt actionem aliquam eſſe licitam, in nullum incurrit peccandi periculum; ergo mirum non eſt dubitanti impoſitam eſſe legem, cujus immunis eſt qui nullo modo dubitat.

Objic. 2. Lex dubia non poteſt certam parere obligationem: ergo cum dubitatur utrum lex aliquid prohibeat, ab eo non tenemur abſtinere.

Reſp. Diſt. conſeq. Ab eo non tenemur abſtinere vi legis dubiæ, conc. vi legis naturalis quæ vetat ne quis peccandi periculo ſeſe expo-

exponat, neg. Cum enim dubitamus an quædam lex obliget, nihil tamen dubitationis eſt, quin eam partem ampleɛti debeamus quæ magis a peccato removet. Itaque quando incerti ſumus an quædam actio prohibita ſit, eam dimittere non tenemur vi legis quæ dubia eſt; ſed vi legis naturalis quæ omnino certa eſt, & vetat ne in cognitum peccandi periculum nos temere conjiciamus.

Objic. 3. Si pars tutior ſemper eligenda ſit, omnes tenerentur in eremum ſecedere, vel monaſterium ingredi, quia illud vitæ genus tutius eſt, minuſque periculoſum: atqui falſum conſequens; ergo & antecedens.

Reſp. Neg. maj. Nam illud vitæ genus, cuique magis tutum eſt, ad quod fuit a Deo deſtinatus, factuſque idoneus: atqui Deus alios deſtinavit ad vitam cælibem, alios ad conjugalem, alios ad ſolitudinem; quemadmodum ergo ſingula corporis humani membra non eodem funguntur munere, ſed diſtinctis miniſteriis ſerviunt, ut obſervat Apoſtolus; ita ſinguli homines eam vivendi formam profiteri debent, ad quam a Deo vocati ſunt. Alii enim in ſæculo depravantur, qui potuiſſent, ut ait Auguſtinus, *in ſolitudine deificari*: alii in monaſteriis male vivunt, qui in ſæculo pie ſanctèque vixiſſent.

SECTIO II.

De Conſcientia, ſive opinione probabili.

1. OPinio probabilis ea eſt quæ nititur vel gravi quadam auctoritate, vel rationibus non levis momenti, non tamen certis & indubitatis. Hinc duplex diſtinguitur probabilitas; alia *intrinſeca* quæ ducitur ex ipſis rationibus alicui ſententiæ ſuffragantibus, alia *extrinſeca* quæ repetitur ex Doctorum auctoritate & teſtimonio, qui in eamdem ſententiam videntur conſpiraſſe.

 2. Opi-

2. Opinio dicitur modò *favere legi*, cum aſfirmat rem aliquam lege prohiberi vel præcipi; modò *favere libertati & cupiditati*, quando ſcilicet aſſerit hanc vel illam actionem nulla lege vetitam eſſe aut imperatam.

3. Opinio in conflictu alterius dicitur *probabilior*, vel *minus probabilis*, prout ratione & auctoritate oppoſitam vincit, aut ab ea vincitur: ſi vero ambæ paribus rationum momentis ſeſe librent, tunc vocantur *æque probabiles*.

4. Opinio dicitur *tutior*, cùm à violandæ legis periculo magis removet, quam oppoſita.

5. *Probabiliſtæ* dicuntur recentiores quidam Caſuiſtæ, qui probabilitatem ut certam tutamque morum regulam intrudunt. Hæc ſunt ea de re præcipua eorum dogmata: 1. opinionem quamlibet probabilem ſequi ita licitum eſt, ut qui ex ea vitam ſuam dirigit, non modo ſecurus ſit, ſed etiam *recta tendat ad Superos*, inquit famoſus Eſcobar. 2. In opinionum conflictu minus probabilis, ſimul & minus tuta, probabiliori tutiorique poteſt anteponi. 3. Ea opinio vere eſt probabilis, quam vel unius Doctoris gravis, ſive Caſuiſtæ, auctoritas firmaverit. Incredibile eſt quantam in Theologia morali ſtragem ediderit horrenda hæc doctrina, quæ omnibus flagitiis viam aperit latiſſimam. Itaque ſit.

PROPOSITIO I.

Non licet ſequi opinionem minus probabilem quæ favet libertati, in concurſu alterius probabilioris, quæ favet legi.

Prob. 1. NOn licet homini in peccandi periculum ſeſe conjicere: atqui huic periculo manifeſte ſeſe exponit, qui opinionem minus probabilem quæ favet libertati, ſequitur in concurſu alterius probabilioris quæ ſtat pro lege: nam locus eſt timendi, ne legem tranſ-

gre-

grediatur, ſi forte exiſtat: atqui in caſu de quo agitur probabilius eſt legem exiſtere; ſiquidem graviora in hanc partem inclinant rationum momenta; ergo, &c.

2. Clamat recta ratio Deum eſſe præ omnibus aliis diligendum: atqui profecto Deum non ita diligit, qui ſententiam minus probabilem, libertati cupiditatique blandientem amplectitur, dum alia probabilior in gratiam legis occurrit; tunc enim id facit, vel omittit, quo Deum graviter offendendum eſſe judicat, & quidem probabilius.

3. Nunquam licet agere contra conſcientiam, ut probatum fuit? atqui contra ſuam conſcientiam agit, qui opinionem minus probabilem ſequitur, præ alia quæ probabilior ſibi videtur, & pro lege militat; ita enim pronuntiat ipſius conſcientia: probabilius eſt ac veriſimilius actionem hanc eſſe malam & lege prohibitam.

4. Non licet imprudenter & temere agere; atqui ita ſe gerit qui ſententiam minus probabilem eligit; neglecta probabiliore quæ favet legi; ut enim prudenter quiſque agat, moraliter certus ſit neceſſe eſt, bonam, honeſtamque eſſe ſuam actionem: atqui ea certitudine prorſus caret, qui opinionem minus probabilem arripit, ſpreta probabiliore quæ pugnat pro lege; namque, eo ipſo teſte, quod agit potius illicitum eſt, quam licitum; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Non licet ſequi opinionem probabilem quæ favet libertati, in concurſu alterius æque probabilis quæ ſtat pro lege.

PRob. Qui animum habet duabus oppoſitiſque opinionibus æque probabilibus diſtractum, is vere proprieque dubitat; ſiquidem non poteſt hanc potius quam illam opinionem veram judicare; ſed inter utriuſque veritatem & fal-

ſitatem ſuſpenſus fluctuat. Hinc ſi quis hominem in hoc ſtatu conſtitutum interroget, utra ſententia vera ſit, ingenue fatebitur ſe neſcire, ſe incertum eſſe, ſe dubitare; obſtringitur ergo lege qua jubemur in dubiis partem tutiorem conſectari: atqui partem tutiorem non ſequeretur, ſi opinionem quæ libertati favet & cupiditati; amplecteretur, neglecta altera æque probabili, quæ ſtat pro lege. Poſteriorem enim hanc ſententiam eligendo, nullum in periculum incurreret legem divinam violandi; huic autem diſcrimini ſeſe objiceret, ſi alteram opinionem cupiditati patrocinantem ſequeretur, ut per ſe manifeſtum eſt; ergo; &c.

COROLLARIUM.

Ergo Probabiliſtarum doctrina non poteſt eſſe morum regula.

IN eo quippe ſita eſt, ut ſemper liceat opinionem probabilem, id eſt, a quibuſdam Caſuiſtis approbatam, ſequi, etiam in conflictu alterius quæ probabilior ſit, & cum lege magis conſentiens: atqui doctrinam hanc, quaſi tutam morum regulam, proponere, grande ſit nefas: quantum enim a recta ſanaque ratione abhorreat, ex dictis ſatis compertum eſt. Ea ſemel admiſſa, nullum erit flagitium, quod licitum & innoxium non evadat. Ex hoc ſcilicet vitiato fonte manarunt tot Caſuiſtarum decreta, quæ populi chriſtiani pietas tam juſta deteſtatione inſecuta eſt, & quæ ſacra Gallicanorum Præſulum auctoritas merito anathemate profligavit, utpote quæ calumniam, cædes, furta, uſuras, &c. permittunt.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Qui ex duabus opinionibus minus probabilem ſequitur, dubitat quidem *ſpeculative*, non vero *practice*; certo quippe novit tuto agere qui opinionem quamcumque probabi-

babilem ſequitur; hic ergo locum non habet iſta regula: *in dubiis pars tutior eſt eligenda*.

Reſp. Neg. ant. Quia dubium *ſpeculativum* cum *practico* intima neceſſitudine conjunctum eſt: cum enim dubitamus verane ſit aliqua opinio, an falſa, eo ipſo dubitamus an liceat eam ſequi. Quæ duo ſimul & colligata eſſe, nemo non intelligit.

Objic. 2. Opinio minus probabilis, in concurſu probabilioris, remanet vere probabilis; ergo eam ſequi licet.

Reſp. Neg. ant. Probabile enim idem eſt, ac dignum quod approbetur: atqui opinio minus probabilis in conflictu probabilioris, minime digna eſt quæ aſſenſum & approbationem obtineat, cum prævaleant rationum momenta, quibus nititur oppoſita ſententia. Quinimo non poteſt animus opinionem minus probabilem non improbare; ſiquidem eam falſam potius quam veram judicat.

Inſtab. Illa opinio eſt abſolute probabilis quæ non cognoſcitur ut evidenter falſa: atqui opinio minus probabilis in concurſu probabilioris, non cognoſcitur ut evidenter falſa: ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Nam opinio probabilis ea eſt quæ gravi quodam fundamento nititur; atqui, licet opinio minus probabilis non cognoſcatur ut evidenter falſa, non idcirco gravi fundamento ſtabilitur; ſiquidem cum alia probabiliore pugnat, quæ proinde ad verum magis accedere videtur.

Inſtab. Si Petrus doctior ſit Joanne, numquid idcirco Joannes non erit doctus? ergo pariter ex eo quod una opinio ſit probabilior altera, non ſequitur iſtam alteram non eſſe vere probabilem.

Reſp. Neg. conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia inter majorem unius hominis, & minorem alterius ſcientiam, nulla vera eſt oppoſitio, ac proinde mirum non eſt alteram ab altera non deſtrui; contra vero duæ opiniones quarum altera eſt probabilior favetque legi,

alia autem minus probabilis, & favet libertati, ita contradictorie opponuntur, ut veritas unius falſitatem alterius neceſſario importet, quales ſunt iſtæ, *Hic contractus eſt licitus*; *hic idem contractus non eſt licitus*; idcirco major probabilitas unius, leviorem alterius probabilitatem prorſus elidit.

Objic. 3. Opinio non eſt probabilis, niſi quando rationi, Scripturæ ſacræ, & Traditioni non adverſatur: atqui licitum eſt hujuſmodi opinionem ſequi; ergo ſemper licet opinionem probabilem amplecti.

Reſp. Neg. maj. Hic enim agitur de opinione probabili, qualis intelligitur a Caſuiſtis quos impugnamus: atqui paſſim docent opinionem vera probabilitate donari, ſi quorumdam Doctorum, imo & unius auctoritate muniatur; quaſi vero doctorum hominum libri erroribus ſæpe non ſcateant? quaſi vero quidpiam aliud ſint hæreſes, quam falſæ opiniones ab eruditis invectæ? Fucum igitur imperitis facere volunt Caſuiſtæ nonnulli, quando ſimulant ad opinionem probabilem a ſe requiri, ut neque a Scriptura, neque a Traditione, neque a ratione diſſideat: has enim conditiones ſibi commodas paſſim retrahunt & ablegant, idque vere probabile eſſe decernunt, quod vel ab uno, vel a paucis Doctoribus, & quidem Caſuiſtis, propugnatum fuerit.

Priuſquam huic quæſtioni finem imponamus, non abs re erit graviſſimum Cardinalis Bellarmini monitum oculis ſubjicere: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant aut faciant; & ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate propoſita, ad minus tutam declinare: agitur enim de ſumma re, cum de ſalute æterna tractatur.* (*Epiſt. ad nepotem.*)

CA-

CAPUT II.

De principiis Actuum humanorum externis.

PRincipia actuum humanorum *externa* dicuntur ea quæ extra hominem poſita ſunt. Duo recenſentur, nimirum *finale* & *dirigens*. Prius eſt finis propter quem fiunt actus humani; poſterius vero eſt lex ipſa qua, tanquam luce, ſuis in actibus homo dirigitur. De utroque nunc agendum eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

De fine Actuum humanorum.

FInis definiri ſolet id cujus gratia fit aliquid, ſive bonum eſt verum aut apparens, cujus conſecutionem inter operandum intendimus. Voluntas enim amare non poteſt, niſi quod bonum ſibi videtur. Duplex autem potiſſimum diſtinguitur finis, *proximus* nempe & *ultimus*. Finis *proximus* ille eſt quem ita voluntas intendit, ut ipſum referat ad finem alium ulteriorem. Sic homo vere Chriſtianus medicinam hauriendo, ita ſanitatem quærit, ut ipſam referat ad Dei laudem & gloriam. Finis *ultimus* ille eſt ad quem certa dirigitur, ipſe vero ad nullum alium finem refertur; & hic proprie finis eſt, quia in eo voluntas conquieſcit.

Hic duo ſunt pertractanda. 1. Enim cum homines ita ſint a natura comparati, ut in iis quæ agunt beatitudinem, tanquam finem ultimum, quærant, in quo ſita ſit hominis beatitudo exponendum eſt. 2. Cum non alius eſſe debeat finis ultimus hominis, quam ipſe Deus, agendum erit de officio quo tenemur omnes actiones noſtras ad Deum, tanquam finem ultimum, referre.

PARAGRAPHUS I.

In quo ſita ſit vera hominis beatitudo.

BEATITUDINIS nomine, non Philoſophi tantum, verum etiam imperiti, eum ſtatum intelligunt, qui mentem omnino expleat. In aſſignando illius felicitatis objecto, tanta fuit Philoſophorum gentilium diſcordia, ut 288. opiniones ea de re diſcrepantes, poſt Varronem, numeret Auguſtinus. (*Lib.* 15. *de civit. Dei*, *cap.* 20.) Adeo verum eſt quod ait Seneca, *uvere omnes beate velle, ſed ad pervidendum quid ſit quod beatam vitam efficiat, caligare*. (*Init. lib. de vita beata.*

PROPOSITIO I.

Ad veram proprieque dictam beatitudinem homo deſtinatur.

Prob. INtime conſcii ſumus in nobis exiſtere quemdam ſummæ beatitudinis appetitum, quo perfecte & immutabiliter beati eſſe volumus: atqui hominem ad felicitatem natum eſſe probat iſte appetitus, ſiquidem non poteſt nos decipere; 1. enim in nobis neceſſarius eſt: nemo quippe a ſe obtinere poteſt, ut nolit eſſe beatus; 2. conſtans & perpetuus; namque & ſingulis inſtantibus, & in ſingulis actibus ex ineluctabilis hujus deſiderii impulſu agimus, nec quidquam velle poſſumus, niſi aliquam boni ſpeciem præ ſe ferat; 3. univerſalis eſt, cum in omnibus & ſingulis hominibus ſeſe prodat & manifeſtet: atqui hujuſmodi appetitus non poteſt nos decipere; alioquin error in ipſum Deum merito refunderetur, qui ſine ulla cauſa iſtud deſiderium nobis indidiſſet: illud enim mentibus noſtris imprimendi nulla eſſe poteſt cauſa, ſi nulla ſit beatitudo, qua expleatur; ergo, &c.

PRO-

PROPOSITIO II.

Homo non poteſt in ſeipſo veram felicitatem invenire.

Prob. EX miſera hominum in terris conditione: *Homo* enim *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis* (*Job.* 14. 1.) *Editus eſt in vitam*, ait Tullius, *corpore nudo, fragili, ac infirmo, animo anxio ad moleſtias, humili ad timores, prono ad libidines.* (*Lib. 3. de Republ.*) Atqui luctuoſus ille ſtatus pugnat cum vera felicitate. Hinc adeo verum eſt hominem ſe ſolo contentum non eſſe ut extra ſeipſum quærat beatitudinem; quod unicuique ex proprio conſcientiæ teſtimonio compertum eſt.

PROPOSITIO III.

Hominis beatitudo non ſita eſt in bonis creatis.

Prob. BOna creata triplici ſunt generis, alia ſcilicet fortunæ, alia corporis, alia animi: atqui nihil horum poteſt hominem facere beatum.

Prob. 1. pars: Bona fortunæ ſunt honores, dignitates, divitiæ: atqui hæc tria non poſſunt hominem efficere vere beatum. 1. Quidem non honores & dignitates: tum quia non ſunt ſtabiles, nec a ſolis probis poſſidentur. *Vidi*, inquit Pſaltes Regius, *impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani; tranſivi, & ecce non erat.* (*Pſal.* 36. *v.* 35. & 36.) Tum quia appetitum irritant, ne dum expleant: ſi quis enim ad aliquem dignitatis gradum pervenerit, ad altiorem ardet concedere; tum quia hominem reddunt variis incommodis obnoxium nempe ſuperiorum contemptui, æqualium invidiæ, inferiorum jocis & maledictis, omnium de-

tiisque importunitatibus. Hinc Poeta ethnicus:

Jure perhorrui

Late conſpicuum tollere verticem.

2. Nec divitiæ veram hominis beatitudinem conſtituunt: cum labore enim comparantur, cum timore & ſollicitudine conſervantur, cum dolore amittuntur. Præterea cupiditatem ſtimulant, non ſatiant.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit;

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Denique iis ſæpe affluunt improbi, de quibus ſic habet Pſaltes Regius; *Promptuaria eorum plena ..... oves eorum fœtoſa, abundantes in egreſſibus ſuis: boves eorum craſſæ.* (*Pſal.* 103. *v.* 13. & 14.) Ergo vera hominis felicitas non ſita eſt in bonis fortunæ.

Prob. 2. Pars: Bona corporis potiſſimum conſiſtunt in ſanitate & voluptatibus: atqui neutrum dici poteſt ſummum hominis bonum; utrumque enim fluxum eſt, caducum, inſtabile, vel quatriduanæ febris igniculo evaneſcet; voluptates corporeas conſequuntur anxietas, dolor, triſtitia, conſcientiæ ſtimuli; vires corporis atterunt, multiplex morborum genus invehunt. *Defectio virium*, inquit Tullius, *adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius, quam ſenectutis.* (*Lib. de ſenectute.*) Hinc ſic monet Poeta ethnicus:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Prob. 3. pars: Animi bona ſunt ſcientia & virtus: atqui vitam ex omni parte beatam non efficiunt; quantulæ enim ſunt! quam obſcuræ, quam variis erroribus admiſtæ, quas magnis laboribus conſequimur, ſcientiæ! quam parum valent eam explere ſciendi & cognoſcendi cupiditatem, quæ a Deo nobis inſita fuit! Præterea ſcientiæ & virtus hominem morbis, doloribus, paupertate, aliiſque miſeriis non eximunt, quæ cum vera felicitate ſociari nequeunt. Hinc Apoſtolos, licet omni virtutum genere conſpicuos, ita vexabant, hujus vitæ incommo-

da

da, ut eos *tæderet vivere*. (2. *Cor.* 18.) Virtus ergo via quidem eſt qua pervenitur ad ſummam felicitatem; ſed ipſa non eſt ſummum hominis bonum.

Ex iis omnibus colligere eſt quam fruſtra in bonis creatis quæreretur vera hominis felicitas. Hinc Salomon, licet in eum confluxiſſent omnia tum fortunæ, tum corporis, tum animi bona, ſtatim ab operis ſui lumine in iſtas voces erumpit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. (*Eccleſ.* 1. 2.)

PROPOSITIO IV.

Deus ſolus eſt ſumma hominis beatitudo, ſive ſummum bonum.

Prob. ILle ſolus eſt ſummum hominis bonum, qui ſolus poteſt omnes illius facultates explere: atqui ſolus Deus poteſt; &c. Facultates enim hominis revocantur ad intellectum qui veri cognitionem, & ad voluntatem quæ boni poſſeſſionem proſequitur: atqui Deus ſolus valet utramque hanc hominis facultatem explere: nam ſolus eſt ſumma veritas, ſummaque bonitas: atqui Deus, quatenus ſumma veritas, poteſt totam intellectus verum inquirentis amplitudinem exhaurire; & quatenus ſumma bonitas, poteſt immenſa voluntatis bonum proſequentis deſideria ſiſtere; ergo, &c. Hinc S. Auguſtinus Deum alloquens: *Feciſti nos ad te*, inquit, *& inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. (*Lib.* 1. *confeſſ. cap.* 1.) *Non facit beatum hominem, niſi Deus qui fecit hominem*. (*Epiſt.* 155. *n.* 2.)

Objic. 1. Ille non eſt ſummum hominis bonum, qui ab eo poſſideri non poteſt: atqui Deus ab homine poſſideri non poteſt; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Tunc enim dicimur Deum poſſidere, cum in eo viſo & amato ſuaviſſime conquieſcimus. Poſſeſſionis quippe nomine nihil

aliud

aliud hic intelligitur, quam perfecta & jucundiſſima mentis creatæ cum ſummo bono conjunctio: atqui in Deo viſo & amato poſſumus ſuaviſſime conquieſcere, cum ad eum finem ab omnipotentiſſimo Creatore noſtro conditi fuerimus. *Videbimus & amabimus*, inquit Auguſtinus; *amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine, ſine fine.* (*Lib. ult. de civit. Dei cap. ult.*)

Inſtab. Deus eſt infinitus; homo vero finitus: ergo non poteſt homo Deum poſſidere.

Reſp. Neg. conſeq. Homo enim, licet finitus, Deum cognoſcere poteſt, ut demonſtratum fuit in Metaphyſica; ergo pariter Deum amare poteſt, quamvis finitus, ideoque poſſidere.

Inſtab. Illud non poteſt homo poſſidere cum quo nullam habet proportionem: atqui homo nullam habet cum Deo proportionem; ergo illum non poteſt poſſidere.

Reſp. Neg. min. Duplex a Philoſophis diſtinguitur proportio, alia ſcilicet *habitudinis*, & alia *Entis*. Prior eſt relatio facultatis ad objectum, qua illud attingere poteſt. Hujuſmodi proportio reperitur v. g. inter mentem & corpora, quia mens poteſt ea cognoſcere. Poſterior habitudo, nempe *Entis*, eſt duorum ratione naturæ convenientia.

Porro utraque hæc proportio inter Deum & hominem intercedit; 1. quidem proportio *habitudinis*: Deus enim cognoſci & amari, & mens humana Deum poteſt cognoſcere & amare; 2. & proportio *Entis*, non quidem perfecta, cum Deus ſit omni perfectionum genere infinitus; mens vero humana ſit finita & imperfecta: ſed tamen aliqua eſt relatio, aliqua ſimilitudo *Entis* Deum inter & hominem; Deus enim cognoſcit & amat, quod etiam homini convenit. Præterea Deus hominem *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* condidit, teſte Scriptura, quod certe aliquam, licet imperfectam, probat naturæ ſimilitudinem, ſive proportionem.

Objic.

Objic. 2. Appetitui finito ſufficit bonum finitum: atqui appetitus hominis eſt finitus; ergo ad eum explendum ſatis eſt bonum finitum.

Reſp. Diſt. maj. Si appetitus ille non tendat ad bonum infinitum, conc. ſecus, neg.

Porro appetitus hominis, quamvis finitus, utpote facultatis creatæ affectio, bonum tamen infinitum proſequitur. Ineluctabili enim propenſione fertur ad beatitudinem abſolutam, æternam & immutabilem, quæ nonniſi in ſummo & infinito bono ſita eſſe poteſt, ſive in Deo qui, ut ait Propheta Regius, *replet in bonis deſiderium tuum*. (*Pſal.* 162. *v.* 5.) Quod adeo verum eſt, ut Alexander, licet in ſubditum mundum late dominaretur, aliquid ultra expeteret. Hinc Juvenalis:

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis,
Æſtuat infelix anguſto in limite mundi.

PARAGRAPHUS II.

De officio quo tenemur omnes actiones noſtras ad Deum, tanquam finem ultimum, referre.

Nullus ſine fine quodam ultimo eſſe poteſt actus humanus: in omni quippe actu deliberato aliquid intendimus, aliquod bonum verum aut apparens proſequimur, in quo voluntas noſtra conquieſcit, & ultro quod non excurrit. In eo ſita eſt ratio finis ultimi.

PROPOSITIO.

Homo tenetur omnes & ſingulas actiones deliberatas ad Deum, tanquam finem ultimum, referre, ex amore ſaltem virtuali.

Prob. Ad illud tenetur homo, quod jubent lex naturalis, & Religionis Chriſtianæ documenta: atqui lex naturalis & Religio-

gionis Chriſtianæ documenta præcipiunt, ut omnes actiones deliberatas ad Deum, tanquam finem ultimum, referamus ex amore ſaltem *virtuali*.

Prob. 1. pars: Ea quippe eſt naturæ lex, ut res quælibet ad eum finem tendat, ad quem vi ſuæ creationis, & ab auctore ſuo deſtinata eſt: atqui finis ultimus ad quem creatus & deſtinatus fuit homo, eſt ipſe Deus; ſiquidem in eo ſolo ſitam eſſe noſtram beatitudinem demonſtravimus; aliunde homo non tendit ad Deum, niſi ad illum ſuas actiones referendo ex amore ſaltem *virtuali*; ergo, &c.

Præterea dictat lex naturalis ad Deum referenda eſſe quæ ab eo accepimus: atqui a Deo creante & conſervante habemus, quidquid vitæ, quidquid facultatis, quidquid boni & perfectionis nobis ineſt; præcipit ergo lex naturalis, ut omnia noſtra referamus ad Deum, tanquam finem ultimum. Quod ratiocinium non ſemel adhibent SS. Patres: *Hæc regula dilectionis*, inquit Auguſtinus, *divinitus conſtituta eſt, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam tuam .... in illum conferas, a quo habes ea ipſa quæ confers*. (*Lib.* 1. *de Doct. Chriſt. cap.* 2. *tom.* 3. *p.* 1. *pag.* 11.)

Prob. 2. pars, nempe idem jubere Religionis Chriſtianæ documenta: 1. enim ſic præcipit Chriſtus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua ..... hoc eſt maximum & primum mandatum*. (*Matth.* 22. *v.* 37. & 38.) Atqui præceptum illud impleri non poteſt, niſi omnia ad Deum tanquam finem ultimum, referantur ex dilectione ſaltem *virtuali*, ut patet.

2. Sic pronuntiat Apoſtolus: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. (1. *Cor.* 10. 31.) *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facite*. (*Coloſſ.* 3. 17.) Quis autem dixerit opus aliquod pro-

propter Dei gloriam, & in nomine Jeſu Chriſti fieri, niſi ad Deum, tanquam finem ultimum, referatur ex amore Dei ſaltem *virtuali*? Nec objicias Apoſtolicam ſententiam de mero conſilio eſſe intelligendam. Hanc enim interpretationem ſic profligat Doctor Angelicus: *Quidam dicunt quod hoc apoſtolicum eſt conſilium; ſed illud non eſt verum*. (*Lect. 3. in cap. 3. Epiſt. ad Coloſſ.*)

3. Tandem docet Religio Chriſtum Redemptorem noſtrum nos totos, velut ſervos emptitios, ſanguine ſuo ſibi acquiſiviſſe, juxta illud Apoſtoli: *Non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno*. (1. *Cor.* 6. *v.* 19. & 20.) Atqui ſervus, modico licet pretio emptus, nullo momento ſibi vivere debet, ſed dominio ſuo; quanto magis igitur nos tanto pretio acquiſiti, non nobis, ſed Domino & Redemptori noſtro vivere debemus. Totam vitam noſtram, & non aliquam tantum illius partem morte acerbiſſima Chriſtus redemit; ergo totam vitam noſtram, & non aliqua ſolum ejus momenta, in Chriſti gloriam & amorem impendere tenemur. Hinc Apoſtolus generatim, & ſine ullius temporis vel actionis diſcrimine ita ſtatuit: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt*. (2. *Cor.* 5. 15.)

Ergo ex Religionis Chriſtianæ documentis conſtat, omnes actiones noſtras ad Deum, tanquam finem ultimum, eſſe referendas ex dilectione ſaltem *virtuali*; aliunde eamdem legem nobis imponit lex naturalis; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Ex Philoſophorum & Theologorum conſenſu præceptum *affirmativum* non ſemper obligat: atqui præceptum jubens agere propter Deum, eſt *affirmativum*, ergo ſemper non obligat.

Reſp. Diſt. maj. Præceptum *affirmativum*, quod

quod omnes actiones noſtras non complectitur, ſemper non obligat, conc. maj. præceptum *affirmativum* quod omnes actiones noſtras complectitur, non ſemper obligat, neg. maj. diſt. min. ad ſenſum majoris.

Revera præceptum *affirmativum* quod omnes actiones noſtras non involvit, ſemper non obligat: hujuſmodi ſunt præcepta de honorandis parentibus, de ſublevando paupere: neque enim ſemper & quolibet tempore obſequii noſtri actus in parentes ſunt exercendi, nec eleemoſina pauperibus eroganda; ſed tantum ubi ſeſe dederit occaſio. Præceptum vero quod omnes actiones noſtras complectitur, quamvis *affirmativum*, ſemper nos obſtrictos tenet, ut ipſamet verba ſatis indicant.

Porro præceptum quo jubemur agere propter Deum, tanquam finem ultimum, ad omnes actiones noſtras pertinet, & ne minimas quidem excludit, ut liquet ex apoſtolicis ſententiis ſupra laudatis. Et vero niſi ita res eſſet, aliquando liceret agere propter creaturam, tanquam finem ultimum, ac proinde eam propter ſe diligere: atqui id nunquam licitum eſt, ſiquidem *tunc cupiditas eſt*, inquit Auguſtinus, *cum propter ſe amatur creatura*; (*Lib. 9. de Trinit. c.* 8. *n.* 13. *tom.* 8. *pag.* 844.) ergo, &c.

Inſtab. Impoſſibile eſt homini omnes actus ſuos ad Deum referre; ergo præceptum de quo agitur, omnes actiones noſtras non complectitur.

Reſp. 1. Eadem hac difficultate, ſi quid haberet roboris, premerentur adverſarii. Fatentur enim in Apoſtolicis ſententiis quas ſupra deſcripſimus, contineri ſaltem conſilium de referendis ad Deum ſingulis actionibus noſtris: atqui conſilium non minus eſſe debet poſſibile, quam præceptum; alioqui fruſtra proponeretur; ſeipſos igitur impediunt adverſarii.

Reſp. 2. Diſt. ant. Impoſſibile eſt homini ſingulos actus ſuos ad Deum referre intentione *actuali & expreſſa*, conc. intentione *virtuali*, neg. ant.

Ita-

Itaque duplex diſtinguitur agentis intentio, alia ſcilicet *actualis* & *expreſſa*, alia *virtualis*. Ille agit propter finem intentione *actuali* & *expreſſa*, qui attendit & recogitat finem ad quem opus ſuum dirigit. Is autem *virtualiter* agit propter finem, qui virtute intentionis prius conceptæ, in ſuaque mente etiamnum moraliter perſeverantis, aliquid operatur propter finem ſibi propoſitum, licet de eo non cogitet. Sic viator dicitur omnes ſuos paſſus ad locum quo tendit referre, quamvis ipſius mentem perpetua non afficiat cogitatio loci, propter quem iter ſuſcepit.

Porro moraliter quidem impoſſibile eſt, ut omnes & ſingulas actiones noſtras ad Deum referamus intentione & cogitatione *actuali & expreſſa*; id quippe non ferunt variæ quibus deſtrahimur curæ, naturæque noſtræ infirmitas & inconſtantia; ſed poſſumus omnes actiones noſtras ad Deum referre intentione ſaltem *virtuali*: ad illud enim efficiendum, ſatis eſt, ut agamus ex propoſito in omnibus Deo placendi, quod prius in animo conceptum, deinde revocatum non fuerit: atqui hoc modo propter Deum ſemper agere poſſumus. Nonne ſemper ex amore beatitudinis agimus, quamvis de ea ſæpe non cogitemus? Ne autem propoſitum in omnibus Deo placendi, vi cujus propter Deum vere agimus, ſenſim debilitetur & elangueat, illud exſuſcitemus neceſſe eſt, actiones noſtras ad Deum *actuali & expreſſa* cogitatione & dilectione frequenter referendo.

Objic. 2. Actiones ex ſe bonæ, honeſtæ, & rectæ rationi conſentientes, bonitate ſibi propria, veluti quodam pondere, ad Deum referuntur; ergo minime neceſſe eſt, ut agens hujuſmodi actiones ad Deum referat intentione, ſeu amore *virtuali*.

Reſp. Neg. ant. Poſſunt quidem prædictæ actiones ad Deum referri, minime autem referuntur ex ſe & bonitate ſibi propria: vera enim

ad

ad Deum relatio nec eſſe, nec concipi poteſt ſine aliqua voluntate, ſine aliqua intentione qua tendimus ad Deum: atqui nemo ſanus dixerit actionibus, quantumlibet bonis, & rectæ rationi conſentaneis, ineſſe aliquam voluntatem aut intentionem, illud enim non operis, ſed operantis proprium eſt, qui cum ſine intentione & amore eſſe non poſſit, vel ad Deum, vel ad creaturam, tanquam finem ultimum, ſuam refert actionem; ſi 1. recte agit; ſi 2. bona quidem in ſe & quoad ſubſtantiam eſt actio; ſed ipſe bonus non eſt, cum in creatura, non in Deo, ſiſtat & conquieſcat.

Objic. 3. Quod jubetur lege naturali, nemini ignotum eſſe poteſt: atqui tamen a multis ignoratur præceptum de referendis ad Deum noſtris actionibus; ergo non pertinet ad legem naturalem.

Reſp. Neg. maj. Multa ſunt enim officia a lege naturali impoſita, quæ tamen plurimos latent, ſive quia debitam ad ea cognoſcenda diligentiam & attentionem non adhibent; ſive quia præjudiciis & cupiditatibus cæcantur. Hinc non raro contingit, ut homines in iis etiam quæ ad legem naturalem pertinent, ex ignorantia peccent.

Objic. 4. Tenetur quidem homo ſuos omnes actus ad Deum, tanquam finem ultimum, referre; ſed illud fieri poteſt ex alio, præter amorem Dei, *motivo* laudabili; ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. Namque ex conceſſis, tenetur homo ſuos omnes actus ad Deum, tanquam finem ultimum, referre: atqui præceptum illud impleri non poteſt ſine aliquo Dei amore propter ſe, ſi enim agens Deum propter ſe non amet, jam in Deo, tanquam in fine ultimo, non conquieſcit. Finis quippe ultimus, ex omnium conſenſu, ille eſt quem ita intendit voluntas, ut in eo ſiſtat, nec ultra excurrat: atqui ubi Deus propter ſe non diligitur, tunc in eo voluntas ultimo non ſiſtit, ſed in creatura. *Voluntas*

tas enim, ait S. Fulgentius, *aut in infimo bono neceſſe eſt miſerabiliter jaceat, aut in ſummo bono feliciter conquieſcat*. (*Lib.* 1. *ad Monimum cap.* 18.) Ergo præceptum de referendis ad Deum, tanquam finem ultimum, noſtris actionibus, impleri non poteſt ſine aliqua Dei propter ſe dilectione.

ARTICULUS II.

De Lege.

LEx ſuum nomen habet a *ligando*, quia proprius illius effectus eſt, ſubditos quaſi ligare & obſtringere, ad faciendum vel omittendum aliquid. Lex generatim & breviter definiri poteſt *regula agendorum vel omittendorum*. Dividitur in æternam, naturalem & poſitivam, de quibus duplici in paragrapho diſſeremus.

PARAGRAPHUS I.

De Lege æterna & naturali.

LEgem æternam ceterarum fontem eſſe, primamque actuum humanorum regulam conſtat unanimi omnium conſenſu: nihil quippe aliud eſt, quam æternus ordo, & ſumma ratio, in Deo ab æterno exiſtens, qua immutabiliter continentur quæcumque facienda ſunt aut vitanda. *Lex æterna*, inquit Auguſtinus, *eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. (*Lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 27. *tom.* 8. *pag.* 378.)

Lex naturalis a S. Thoma definitur, *participatio legis æternæ in rationali creatura, dictans & præſcribens illud eſſe agendum, quod eſt intrinſece bonum .... & illud fugiendum, quod eſt ab intrinſeco malum*. (1. 2. *q.* 91. *art.* 2.)

Dicitur autem 1. *participatio legis æternæ*, quia lex naturalis ab æterna non diverſa eſt.

Utra-

Utraque idem jubet & vetat; utraque præcipit ut omnia ſint ordinatiſſima, & prohibet quidquid ab ordine immutabili deflectit.

2. *In rationali creatura*, cui ſcilicet ab auctore naturæ indita eſt, ſicque differt lex naturalis a legibus poſitivis, quarum nullum in mentibus noſtris reperitur veſtigium: a libera enim legiſlatoris voluntate omnino pendent.

3. *Præſcribens illud eſſe agendum quod eſt intrinſece bonum, &c.* quæ enim jubet aut vetat lex naturalis, non ideo ſunt bona, quia præcipiuntur, aut mala, quia prohibentur; ſed idcirco præcipiuntur, quia ex ſe bona; aut prohibentur, quia ex ſe mala ſunt, & naturam rationalem dedecent.

De lege naturali tria ſunt inquirenda: 1. utrum exiſtat; 2. an mutationem & diſpenſationem admittat; 3. utrum *invincibiliter* ignorari poſſit.

SECTIO I.

Utrum exiſtat Lex naturalis.

Cum lex naturalis id præcipiat quod ex ſe bonum, idque vetet quod ex ſe malum eſt, eam ſuſtulere nonnulli veteres, qui nihil ex natura ſua bonum aut malum, nihil honeſtum aut turpe, juſtum eſſe docuerunt. Boni ſcilicet & mali moralis diſcrimen omnino repetendum eſſe contendebant ex hominum opinione, conſuetudine & conventis arbitrariis, quibus ſeſe invicem obſtrinxerunt, ut ſive privatorum, ſive ſocietatis utilitati conſuleretur. Hinc, juxta ipſos, *ſola utilitas eſt juſti mater & æqui*, ſublatiſque hujuſmodi pactis & legibus arbitrariis, nihil honeſtum eſſet aut turpe, nihil laudandum aut vituperandum.

Horrendam hanc doctrinam renovavit poſtremis hiſce temporibus Th. Hobbes, (*lib. de cive*), cujus portentoſum ſyſtema paucis delineandum eſt: In ſtatu naturæ, inquit, ſive ante quam-

quamlibet legem poſitivam, omnia erant perinde licita. Furtum, adulterium, homicidium, in eo ſtatu non fuerunt crimina; ſed nonniſi propter leges civiles talia evaſere. Suam mentem ſic explicat: 1. homo facultates inutiles a natura, ſive a Deo, non accepit; jus ergo naturale habet ea omnia faciendi quæ poteſt, ſuiſque omnibus utendi facultatibus, ut quæ ſibi utilia ſunt acquirat. 2. Cum naturali & ineluctabili propenſione impellatur ad propriam conſervationem & felicitatem, licite poteſt alios homines occidere, ipſorumque opes diripere, ſi ita poſtulare videatur illius felicitas. Qua in re nihil eſt injuſti, nihil criminis, ſiquidem homo naturæ obſequitur. 3. Cum tamen, ſi res ita permanerent, omnia ſubverterent, nec quiſquam poſſet in tuto vivere, huic incommodo ut occurreretur, inita ſunt pacta quibus homines ſeſe obſtringerent ad quædam facienda & quædam vitanda. Conventis autem ſtandum eſt, fideſque ſervanda. 4. Idcirco leges politicas & civiles inſtituerunt, quæ ſolæ ſunt agendorum & fugiendorum regulæ. Hinc patet arbitraria duntaxat hominum inſtitutione, a ſe invicem diſcrepare fas & nefas. Ita etiam ſentiunt recentiores quidam Deiſtæ. Cum autem hoc opinionis monſtro concutiantur morum, Religionis & ſocietatis fundamenta, ſit

PROPOSITIO I.

Bonum & malum morale ex natura ſua differunt.

Prob. 1. Ex neceſſaria quarumdam propoſitionum practicarum veritate: plurima ſunt principia morum practica, quæ ſine ullis hominum conventis, & neceſſario vera ſunt, qualia ſunt iſta: *Deus eſt diligendus; ſuum cuique tribuendum; alteri non faciendum quod nobis fieri nolimus.* Illatum enim propoſitionum veri-

ritas non minus neceſſaria eſt, nec magis ab hominum inſtitutis pendet, quam veritas iſtarum ſpeculativarum: *totum eſt majus ſua parte; impoſſibile eſt idem eſſe ſimul & non eſſe*; fulget hinc & inde par evidentia; conſenſum noſtrum non minus rapiunt priores, quam poſteriores, ergo quædam ſunt principia morum practica, quorum veritas ita neceſſaria eſt, ut neque ab hominum pactis, neque a Principum, magiſtratuumve legibus pendeat; ergo bonum & malum morale ex natura ſua differunt.

Prob. 2. Ex unanimi populorum omnium conſenſu: boni & mali moralis diſcrimen non ab hominum conventis aut legibus, ſed ab ipſa natura repetendum eſt, ſi omnes omnium temporum gentes, alias actiones ut bonas, & alias ut malas agnoverint; tum quia omnium populorum conſenſus manifeſta naturæ vox eſt; tum quia univerſali, de qua agitur perſuaſioni adverſantur quæ apud homines vim habent maximam, cupiditates nempe, vitæque liberioris deſiderium: atqui in eo conſentiunt omnes omnium temporum gentes, ut actiones quaſdam tanquam bonas approbent, alias autem tanquam malas vituperent ac deteſtentur. *Quæ natio*, inquit Tullius, *non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aſpernatur, non odit?* (*Lib. 1. de legibus*) ergo boni & mali moralis diſtinctio, non ab hominum conventis & legibus, ſed ab ipſa natura petenda eſt.

Prob. 3. ex ſententiæ oppoſitæ conſectariis: ſi nullæ ſint actiones ex natura ſua bonæ vel malæ, omnes erunt ex ſe prorſus indifferentes, ac proinde potuit Deus furta, latrocinia, homicidia, imo ſui ipſius contemptum & odium præcipere: atqui horrendum illud conſectarium refugit & deteſtatur omnium animis inſita ratio.

Prob. 4. Iſtæ propoſitiones, *fidem in pactis ſer-*

ſervare, *legibus civilibus obtemperare bonum eſt*, *eaſque violare malum*; iſtæ, inquam, propoſitiones in ſeipſis veræ ſunt, vel non. Si prius; ergo bonum & malum morale ex natura ſua differunt, ſicque cauſam obtinemus: ſi poſterius; ergo licitum eſt pacta, legeſque civiles infringere, & furta, adulteria, homicidia, aliaque ejuſmodi facinora perpetrare; ac proinde, etiam poſt leges conditas, poſt inita conventa, nihil eſt boni vel mali; quod pugnat cum adverſariorum placitis, qui boni & mali diſcrimen, nonniſi ex pactis & legibus repetunt.

PROPOSITIO II.

In omnium mentibus exiſtit Lex naturalis.

Prob. 1. Legis naturalis nomine intelligitur lumen quoddam nobis inſitum, quo bonum & malum, juſtum & injuſtum ſecernimus: atqui in omnium animis ea lux emicat, ſuamque non a legibus civilibus, ſed ab ipſa natura ducit originem. Quædam enim ſunt boni, & mali, juſti & injuſti, honeſti & turpis principia omnibus omnium temporum ac regionum hominibus notiſſima, ut ſupra diximus. Unde fit ut quiſquis aliquid fecerit illis notionibus contrarium, internis conſcientiæ ſtimulis, etiam invitus, exagitetur: atqui hujuſmodi principia cupiditatibus ingrata omnium populorum animos occupare, & quaſi orbem univerſum invadere non potuerunt, niſi eorum cognitio ex lumine naturali & omnibus communi prodierit; ergo exiſtit in omnium mentibus lumen naturale, quo diſcernimus quid bonum, quidve malum ſit; ac proinde in omnium animis viget lex naturalis, *qua* ſcilicet *non ſcripta*, *ſed nata*; *quam non didicimus*, *accepimus*, *legimus*; *verum ex natura ipſa arripuimus*, *hauſimus*, *expreſſimus*: ita Tullius. (*Orat. pro Milone*, *n.* 19.)

Adeo manifeſta eſt hæc veritas, ut illius aſſertorem ac vindicem habeamus minime ſuſpectum, ipſummet Scriptorem Genevenſem, cujus iſta ſunt verba: *Jetez les yeux ſur toutes les nations du monde; parcourez toutes les hiſtoires; parmi tant de cultes inhumains & biſarres, parmi cette prodigieuſe diverſité de mœurs & de caracteres, vous trouverez les mêmes idées de juſtice & d'honnêteté, par-tout les mêmes notions du bien & du mal. L'ancien paganiſme enfanta des dieux abominables, qu'on eût punis ici comme des ſcélérats, & qui n'offroient pour tableau du bonheur ſuprême, que des forfaits à commettre & des paſſions à contenter; mais le vices, armé d'une autorité ſacrée, deſcendoit en vain du ſéjour éternel; l'inſtinct moral le repouſſoit du cœur humain. En célébrant les débauches de Jupiter, on admiroit la continence de Xenocrate. La ſainte voix de la nature, plus forte que celle des Dieux ſe faiſoit reſpecter ſur la terre; ..... il eſt donc au fond des ames un principe inné de juſtice & de vertu, ſur lequel, malgré nos propres maximes, nous jugeons nos actions & celles d'autrui comme bonnes ou mauvaiſes.* (*Emile*, *Tom.* 3.)

Probatur 2. ex tacita virtutis approbatione: ita ſunt homines a natura comparati, ut etiam moribus perditiſſimi virtutem in aliis laudent & mirentur. *Placet*, inquit Seneca, *ſuapte natura, adeoque gratioſa virtus eſt, ut inſitum ſit, etiam malis, probare meliora. Lib.* 4. *de Benef. cap.* 17.) Hinc illud Medææ apud Ovidium: *Video meliora proboque, deteriora ſequor*: atqui tacita illa virtutis approbatio ſuam ducit originem a purioribus rationis & conſcientiæ luminibus, quibus ſecreto docentur homines hoc eſſe juſtum, illud vero injuſtum etiam ante leges poſitivas, tum divinas, tum humanas; ergo, &c.

Probatur 3. Non cenſeri debet minus homini providiſſe Deum, quam brutis animantibus: at-

atqui tamen res ita ſe haberet, niſi legem naturalem nobis inſeruiſſet Deus, cujus ope bonum a malo ſecernere valeamus. Nam ſine ea nec ſe ſe dirigere, nec ab aliis dirigi poteſt ad finem ſuum qui eſt ſummi boni, ſive Dei, poſſeſſio, quam obtinere nequit, niſi bonum proſequendo, & malum fugiendo; Deus autem brutis animantibus inſtinctum quemdam indidit, vi cujus ſuos in fines impelluntur; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Si omnibus in hominibus exiſteret lex naturalis, eadem eſſent apud omnes morum principia, ſicut eadem eſt natura; atqui varia ſunt apud varios populos morum principia: ex. gr. apud Lacedæmonios furari, apud Scythas ſuos hoſpites trucidare, apud Maſſagetas parentes ſenio confectos occidere licitum erat; ergo, &c.

Reſp. 1. Neg. maj. Etiamſi enim nonnulli homines primaria quædam morum principia non admitterent, inde minime ſequeretur non exiſtere legem naturalem; ſed id unum colligi poſſet, nempe hujuſmodi homines præjudiciis excæcatos, cupiditatibus diſtractos, paradoxorum prurigine abreptos, vocem naturæ non audiiſſe, nec ad eam ſatis attendiſſe; ſic quamvis Philoſophi quidam de omnibus dubitaverint, nihilominus in philoſophicis exiſtunt veritates neceſſariæ, & in rerum natura fundatæ. Præterea non ex unius vel alterius populi inſtitutis judicandum eſt de jure naturali quod, licet ab ipſis violetur, attamen exiſtit.

Reſp. 2. Neg. min. Primaria enim morum principia luce tam ſplendida animos percellunt, ut in iis admittendis non potuerint non conſentire omnes homines ratione utentes: ſed in iis ad quoſdam caſus accommodandis aliquando erraruntunt. Sic Lacedæmonii non omnium promiſcue rerum, ſed edulium duntaxat furta permiſere;

nec omnibus, ſed junioribus tantum, modo ſolerter ſubriperent: qui enim deprehendebantur, pœnas dabant. Hujuſmodi autem furta permitti poſſe exiſtimabant, ut juniores Lacedæmonii ſuam acuerent induſtriam, & a pueritia diſcerent noctu vigilare, inſidias ſtruere, & deinceps in bello fierent Reipublicæ utiliores.

Negari etiam poteſt veri nominis furtum a junioribus Lacedæmoniis fuiſſe commiſſum, quando, permittente lege publica, res ad victum pertinentes ſubripiebant. Furtum enim proprie dictum in eo ſitum eſt, quod auferatur bonum alienum, invicto poſſeſſore, aut ſaltem non conſentiente: cum autem prædicta lex apud Lacedæmonios ex publico conſenſu lata fuerat, ſinguli cenſebantur jure ſuo ceſſiſſe; ideoque nullum in facto quod objicitur, erat furtum proprie dictum. Ita ſentit ſapientiſſimus Rollin, cujus iſta ſunt verba; *J' ai dit que ce vol n' en avoit que le nom, étant autoriſé par la loi, & par le conſentement de tous les citoyens.* (*Hiſt. anc. Dom.* 2. *pag.* 530.)

Scythæ putabant licite occidi poſſe patriæ hoſtes, & inſidioſos exploratores, quod verum eſt; ſed in eo errabant, quod omnes advenas pro exploratoribus & hoſtibus haberent; ſicque principium verum male applicabant. Maſſagetæ non ignorabant colendos ac diligendos eſſe parentes: huic autem naturæ præcepto ſeſe obtemperare credebant, cum parentes ſenio confectos, variiſque morbis conflictatos interficerent, ad eos e tantis malis liberandos.

Id unum igitur probant objecta exempla, nempe quoſdam populos in applicandis morum principiis interdum allucinatos eſſe, non vero ea rejeciſſe. Ex eo quod enim quidam homines nonnullis in circumſtantiis primarias ſcientiarum veritates ſpeculativas male applicent, non idcirco eas rejiciunt; idem ergo dicendum eſt practicis morum principiis.

Inſt. Ex viatorum relationibus conſtat repertos fuiſ-

fuiſſe quoſdam populos, qui bonum a malo non ſecernebant, & apud quos vitia quæ in ceteris hominibus natura condemnat, virtutes reputabantur; ergo & ipſa juris naturalis principia apud omnes populos non vigent.

Reſp. 1. Neg. anteced. tanquam incertum, nec ſatis firma probatione munitum: multa enim narrare ſolent itinerum ſcriptores quæ a veritate aliena ſunt; neque facile crediderim aliquem eſſe populum omni honeſtatis ſenſu vacuum. Non ſemel quippe viatores de illis populis temere pronuntiant, quorum ſermonem & mores cognoſcere, & animi cogitata intelligere non potuerunt. Præterea hujuſmodi relationibus opponuntur aliæ recentiores & fide digniores; ſapientius ergo eſt per analogiam judicare, juris naturalis principiis imbutos eſſe omnes populos, nequidem iis exceptis, qui hactenus nobis ignoti ſunt.

Reſp. 2. Data, non conceſſa relationum illarum veritate, nihil inde contra legem naturalem concludi poſſe: neque enim ex unius vel alterius populi moribus & inſtitutis de jure naturæ judicandum eſt. Gentes quippe illæ, nedum nativam humanæ conſtitutionis imaginem referant, omnem contra humanitatis ſenſum exuiſſe videntur; haberi igitur debent tanquam monſtra in ordine morali & politico. Quos aggredimur ſophiſtas ſic refellit Civis ipſe Genevenſis: *Cet accord évident & univerſel de tous les hommes, ils l'oſent rejeter contre l'éclatante uniformité du jugement des hommes; ils vont chercher dans les ténebres quelqu'exemple obſcur, comme ſi tous les penchans de la nature étoient enéantis par la dépravation d'un peuple, & que ſi-tôt qu'il eſt des monſtres, l'eſpece ne fût plus rein. Mais que ſervent aut ſceptique Montagne les tourmens qu'il ſe donne pour déterrer en un coin du monde une coutume oppoſée aux notions de la juſtice? quelques uſages incertains & biſarres, fondés ſur des cauſes locales qui nous ſont inconnues, détruiront-ils l'induction générale tirée du concours* de

de tous les peuples, oppoſés en tout le reſte & d'accord ſur ce ſeul point? (*Emile*, *Tom.* 3. *pag.* 98.)

Obj. 2. Si exiſteret in hominibus lex naturalis qua bonum a malo diſtingueretur, tunc facile ſecernerentur boni malique limites: atqui tamen illud non ita facile eſt, ut colligitur ex diverſis Caſuiſtarum de earumdem actionum bonitate & pravitate ſententiis; ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Facile ſecernerentur boni malique limites plurimis in caſibus, conc. in omnibus, neg.

Fateor equidem nonnullos eſſe caſus difficiles & impeditos, in quibus diſcrepantes ſunt Caſuiſtarum ſententiæ, quia non ita manifeſti ſunt boni malique limites; ſed plures alii caſus occurrunt, in quibus utriuſque diſtantia fit ſtatim obvia, & oculos percellit. Quis v. g. primo intuitu non videat bonum eſſe & Dei proximi amorem, malum vero utriuſque odium? quis ſtatim non intelligat gratum & beneficiorum memorem animum, fidemque in promiſſis eſſe laudabiles; ingratum vero animum malamque fidem eſſe vituperio & execratione digniſſima? Porro ex eo quod in concluſionibus quibuſdam remotioribus non facile ſit bonum a malo ſecernere, non ſequitur nullam eſſe legem naturalem; ſunt enim pariter nonnullæ concluſiones a primis ſcientiarum principiis longius disjunctæ, in quibus non facile eſt verum a falſo diſcernere; numquid inde ſequitur verum a falſo *eſſentialiter* non differre.

Inſt. Ergo in caſibus maxime perplexis ſilet, ac proinde inutilis eſt lex naturalis.

Reſp. Neg. conſecutionem: ubi enim tot occurrunt difficultates, ut adhibita, quæ par eſt, diligentia, ſuperari nequeant, tunc omnibus æqui & juſti amantibus dictat lex naturalis, quid agant, quid amplectantur, nimirum partem tutiorem quæ favet legi, ea dimiſſa quæ cupiditati patrocinatur; ſicque nullum aderit peccandi periculum.

Obj.

Obj. 3. Si in omnium animis exiſteret lex naturalis, inutiles forent leges poſitivæ; omnes enim quæ ſui eſſent officii, natura duce, cognoſcerent: atqui inutiles eſſe leges poſitivas nemo dixerit; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. 1. Quia leges poſitivæ, dum bonis præmia, & malis pœnas conſtituunt, plurimos deterrent ab infringenda lege naturali, extra quam cupiditatum impetu abriperentur. 2. Quia, licet omnium animis indita ſit lex naturalis, plerique variis cauſis diſtracti in ſeipſos non deſcendebant, ut eam conſulerent, oportuit igitur ut legis naturalis officia veluti ſub oculos poneret lex poſitiva. *Ne ſibi homines aliquid defuiſſe quærerentur*, inquit Auguſtinus, *ſcriptum eſt in tabulis quod in cordibus non legebant; non ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant*. (*In Pſal.* 57. *n.* 1. *tom.* 4. *pag.* 540.)

Inſt. Si in homines ineſſet immutabilis quædam agendorum & fugiendorum regula, omnes populi iiſdem legibus civilibus uterentur, aut ſaltem in uno eodem Imperio ſecum invicem non pugnarent diverſæ conſuetudines; ſiquidem leges poſitivæ aut inutiles ſunt atque etiam iniquæ, aut ſuam ducunt originem ex lege naturali in qua continetur legum omnium ultima ratio: atqui tamen varios inter populos ſumma eſt legum poſitivarum diſcordia. Imo non deſunt Imperia, quorum ſingulæ fere provinciæ ſuum habeant codicem (*ſon code*) peculiarem. Unde ſic animadvertit clariſſimus Paſchal: *On ne voit preſque rien de juſte ou d'injuſte qui ne change de qualité en changeant de climat. Trois dégrés d'élévation du pole renverſent toute la juriſprudence. Un méridien décide de la vérité, ou peu d'années de poſſeſſion: les loix fondamentales changent; le droit a ſes époques: plaiſante juſtice, qu'une riviere ou une montagne borne! vérité en-deça des Pyrénées, erreur au delà*. (*Penſées*, *chap.* 25.) Ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Hanc enim legum civilium

diſcrepantiam aliquando poſtulat ipſa lex naturalis. Nam juxta ipſius mentem, auctoritas eorum qui in poteſtate ſunt, ad communem populorum utilitatem referatur neceſſe eſt. *Salus populi ſuprema lex eſto*, inquit Lex duodecim Tabularum; in ea parte fidiſſima juris naturalis interpres: atqui Legislatores & Principes communi ſocietatis bono conſulere non poſſunt, niſi leges ſuas, civiliaque inſtituta, populorum moribus, ſtudiis, ingeniis aliiſque circumſtantiis attemperent; ergo, judice ipſa lege naturali, fieri non poteſt ut omnes populi iiſdem legibus civilibus, eademque regiminis forma utantur.

Ceterum fieri poteſt ut ea legum poſitivarum diverſitas, ſi in eodem Imperio locum habeat, communi bono plus noceat quam proſit, ideoque emendatione quadam indigeat. Verum quid inde concludant adverſarii? nullam eſſe certam & immutabilem agendorum & fugiendorum regulam? minime gentium: id unum inferre licet, nempe interdum accidere, ut opiniones & conſuetudines uſu diuturno firmatæ ipſi rationi prævaleant.

Præterea Legislatorum & Principum eſt, non privatorum, ſupremo judicio definire, utrum diverſis ejuſdem Regni provinciis ſervandæ ſint peculiares ſuæ conſuetudines: utrum ad communem unius ejuſdemque legislationis normam omnes reducendæ: ut enim tanti momenti negotium feliciter abſolvatur, habenda eſt diligens commodi & incommodi ratio.

Denique atrocem calumniam celeberrimo Paſcal apponunt adverſarii, cum eum fingunt legum civilium diſcrepantiam ita inſectari, ut de ipſa quoque legis naturalis firmitate & veritate dubitationem inducere videatur. In capite enim laudato totus eſt, non ut rerum agendarum principia, ab ipſo toties tamque ſtrenue defenſa, funditus evertat; ſed tantum ut humani ingenii, etiam in rebus graviſſimis,

pa-

parum ſibi conſtantis infirmitatem oſtendat.

Obj. 4. Ut de juſto & injuſto judicari poſſit, homo in ſtatu naturæ ante quamlibet conventionem & ſocietatem conſiderandus eſt: atqui in eo ſtatu nihil eſt juſtum & iniquum, nihil bonum & malum ex natura ſua; ergo, &c.

Reſp. 1. Neg. majorem & hypotheſim: ſtatus enim ille naturæ, quem ſupponit Th. Hobbes omnino fictitius eſt, ſi homo ab Auctore naturæ ad ſocietatem ineundam deſtinatus fuerit: atqui res ita ſe habet: nam homini vix creato Deus mulierem ſociavit, ex quibus originem duceret genus humanum: atqui primigenia hæc naturæ conſtitutio manifeſte probat hominem eſſe ad ſocietatem conditum.

Reſp. 2. Neg. min. Nonnullæ enim actiones ut bonæ, & aliæ ut malæ apud omnes gentes ſemper habitæ ſunt: v. g. pietas in parentes, amor patriæ, fides in fœderibus, animus beneficiorum memor, ſunt actiones quæ ſemper ubique & omnibus viſæ ſunt bonæ & laudabiles; contra vero parricidia, proditiones, perfidia, ingrati animi vitium ubique reputata ſunt tanquam mala & execranda: atqui nullum eſt pactum quod apud omnes populos vigeat & ſemper viguerit; ergo ante quamlibet conventionem ſunt actiones bonæ & malæ, juſtæ & injuſtæ. Præterea nullo modo probari poteſt inter homines initum fuiſſe pactum quo nonnullæ actiones tanquam bonæ, & aliæ tanquam malæ haberentur. Hujus conventionis nec auctores, nec epocha poſſunt aſſignari.

Inſt. Ante ſocietatem & conventionem, homo nullis officiis erga ceteros homines obſtringitur; ergo in ſtatu naturæ, & ante ſocietatem & conventionem, nihil eſt ex natura ſua juſtum & injuſtum.

Reſp. Diſt. ant. Namque homo, poſt conventionem, quibuſdam erga alios officiis eſt obnoxius: atqui ſi ante conventionem nullis officiis ſubjiciatur, nullum etiam ipſi incumbit poſt

conventionem: quam enim ob cauſam homines poſt conventionem quibuſdam officiis obſtringuntur? nonne quia tenentur pactis ſtare? atqui ſi nulla exiſteret lex naturalis, dictans promiſſis & pactis ſtandum eſſe, jam conventionem obſervare homines non tenerentur.

Obj. 5. Sola utilitas menſura eſt juſti & injuſti, boni & mali moralis; ergo ex natura ſua non differunt.

Reſp. Neg. ant. Regula enim debet eſſe conſtans, uniformis, flecti neſcia: atqui non ita ſe habet utilitas; quod nimirum uni utile eſt, alteri ſæpe nihil prodeſt, imo etiam nocet; idem igitur ſimul erit juſtum & injuſtum: quod omnino repugnat.

Præterea ex ſententia quam refellimus plurima ſequerentur abſurda: nempe 1. Deum non eſſe juſtum, cum ipſi nihil ſit utile, & nulla re indigeat; 2. nullum Deo, nullum parentibus amorem deberi, nullamque fidem in promiſſis, niſi quatenus unicuique prodeſſet; 3. immania ſcelera fieri licita, ſi noſtrum in commodum cedant; 4. tandem ſequeretur totius humanæ ſocietatis ſubverſio: unuſquiſque enim varias ſibi finget utilitates quibus, veluti totidem regulis, actus ſuos accommodabit; inde vero quam horrenda naſcetur ſocietatis perturbatio!

Inſt. Utilitas eſt boni & mali, juſti & injuſti menſura, ſi homo licite facere poſſit quidquid propriæ utilitati judicat conſentaneum: atqui homo licite poteſt facere, &c. ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Quamvis enim homini liceat proprium quærere commodum, non tamen idcirco licet facere quidquid utile eſt. Prodere enim patriam, parentes occidere, &c. aliquando videtur utile; quis autem dicere auſit licitam eſſe patriæ proditionem, parentum occiſionem, &c.? præterea tenetur quiſque rectam rationem ſequi: atqui ſæpe vetat recta ratio id agere quod nobis eſt utilius. Denique nihil vere proprieque nobis utile eſt, niſi quod ſit honeſtum:

exi-

exiſtit enim Deus ſcelerum vindex, cui maxime diſplicet quidquid ab honeſtate alienum eſt; a quo deſtinatur homo ad vitam honeſte tranſigendam, & ſocietatem cum aliis retinendam: quæ omnia ſtare non poſſunt, qui licite poſſit unuſquiſque præſentem utilitatem in omnibus conſectari.

Inſt. Homo innata & ineluctabili propenſione fertur ad ſuam conſervationem & felicitatem: atqui ex illa propenſione jus naſcitur faciendi quidquid propriæ felicitati & conſervationi judicatur neceſſarium; ergo homo jus habet, &c.

Reſp. Neg. min. Poteſt enim quiſque temere judicare aliquid propriæ conſervationi & felicitati eſſe neceſſarium: atqui judicio temerario jus certum non acquiritur. Si quis in animum ſibi induxerit poſtulare propriam felicitatem, ut patriæ exitium moliatur, ut parentes trucidet, numquid ſtatim hæc ipſi licita erunt? quinimo nedum dictet recta ratio, ineſſe homini jus faciendi quidquid ad vitam ſervandam neceſſarium judicat, jubet contra vitam fortiter abjicere, ſi illud poſtulet utilitas publica; ſicut enim bonum commune melius eſt bono privato, ſic debet propriam vitam negligere privatus, ſi id exigat Reipublicæ utilitas.

Obji. 6. A natura acceptam habemus libertatem & potentiam agendi quidquid libuerit: atqui poteſtas a natura conceſſa eſt jus proprie dictum; ergo nobis jus ineſt quidquid libuerit faciendi; ac proinde nihil ex ſe bonum vel malum eſt, juſtum vel injuſtum.

Reſp. Neg. min. Jus enim inter & potentiam immane eſt diſcrimen; namque 1. quiſque poteſt Deum contemnere, odiſſe amicum beneficii auctorem, ipſumque patrem occidere; numquid idcirco hæc omnia efficiendi jus habet? nihil certe abſurdum magis & horrendum fingi poteſt. 2. Vera ineſt nobis facultas pacta infringendi: atqui tamen ea licite violari poſſe ne-

gant ipſe Th. Hobbes. 3. Ad naturam hominis pertinet recta ratio, quæ actiones quaſdam approbat, & alias improbat; atqui inepte prorſus diceretur a natura jus concedi ea faciendi quæ ipſa condemnat.

Inſt. 1. Vana prorſus foret ea potentia cujus licitum non eſſet exercitium; ergo potentia quam a natura traximus, a jure non diſtinguitur.

Reſp. Neg. ant. Vana quippe dici nequit potentia quæ laudis & meriti fons eſt ac radix; atqui poteſtas cujus licitum non eſt exercitium, laudibus & meritis locum non præbet. Si enim non alia, quam licite agendi, facultas hominibus ineſſet, tum boni faciendi neceſſitate conſtringerentur, nec ullus proinde merito locus ſupereſſet; ergo, &c.

Inſt. 2. Ideo ſummum jus in omnia Deus habet, quia infinita eſt ipſius potentia; ergo pariter tam late patet jus hominis, quam ipſius potentia.

Reſp. 1. Tranſeat antecedens, quia ſupponit aliquid abſurdi, nempe jus ad omnia Deus habere: Deus quippe eſt ſumme perfectus: atqui talis immerito cenſeretur, ſi ipſi jus ad omnia competeret; hoc enim poſito, creaturas, etiam innocentes, poſſet acerbiſſimis cruciare ſuppliciis: atqui profecto Deus non foret ſumme perfectus, ſi ita ſeſe gereret.

Reſp. 2. Neg. conſeq. & parit. Ratio diſcriminis eſt quod Dei poteſtas nulli alteri ſubjiciatur; contra vero creaturarum poteſtas a divina prorſus pendeat, & ideo poſſit Dei legibus coerceri; ergo etiamſi Deus, ob infinitam ſuam potentiam, ad omnia jus haberet, perperam concluderetur nobis licitum eſſe quidquid poſſumus:

SE-

SECTIO II.

Utrum lex naturalis mutationem & diſpenſationem admittat.

LEx proprie *mutari* dicitur, quando vel partim, vel omnino tollitur. Per *diſpenſationem* vero intelligitur relaxatio legis in alicujus gratiam a ſuperiore conceſſa; quæſtio eſt igitur, an ſicut Legiſlator ex lege poſitiva, quam tulit, aliquem eximere poteſt; ita ſaltem Deus poſſit hominem a legis naturalis vinculo ſolvere ita ut ille non peccet, ſive ea faciendo quæ prohibet lex naturalis, ſive ea prætermittendo quæ fieri jubet.

PROPOSITIO.

Lex naturalis nullam mutationem nullamque diſpenſationem admittit.

Prob. 1. pars: EA lex nullam prorſus mutationem patitur, quæ id unum jubet aut vetat, quod ex natura ſua bonum eſt vel malum, honeſtum vel turpe: atqui ita ſe habet lex naturalis; quod enim cum lege & ratione æterna immutabilique conſonat, neceſſario bonum eſt; quod vero eidem repugnat, neceſſario malum eſt: atqui lex naturalis nihil præcipit aut vetat quod legi & rationi æternæ ac immutabili non conſentiat aut diſſentiat, cum ſit ipſius participatio, expreſſio, manatio; ergo, &c.

Probatur 2. pars: *Diſpenſare* ſive eximere aliquem e lege naturali, nihil aliud eſt quam illi permittere, ut faciat aliquid a lege naturali prohibitum: atqui id permittere nequaquam poteſt Deus: quidquid enim vetat lex naturalis, ex natura ſua malum eſt, ac legi, ſive rationi æternæ & immutabili diſſentaneum: atqui Deus nemini licentiam dare poteſt id faciendi quod

ex

ex natura ſua malum eſt, quod legi æternæ & immutabili adverſatur: alioqui Deus ſecum ipſe pugnaret; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. *Diſpenſare* idem eſt ac ſolvere aliquem a lege: atqui Deus Abrahamum a lege naturali ſolvit, dum ipſi præcepit ut filium ſuum innocentem immolaret; homicidium quippe vetat lex naturalis, ergo, &c.

Reſp. diſt. min. Lex naturalis vetat homicidium privata auctoritate ſuſceptum, conc. homicidium divina auctoritate commiſſum, neg. maj.

Porro legi naturali non opponitur homicidium, niſi quando fit contra juſtitiam & rectam rationem, id eſt, auctoritate privata. Idcirco contra legem naturalem non peccant, qui hominem publica auctoritate occidunt, ut carnifex cum reum aliquem, vel miles cum in bello juſto alium militem interficit; quia ſcilicet hujuſmodi homicidium, nec injuſte, nec contra rationem committitur. Cum autem Deus ſupremus ſit vitæ & necis Dominus, nihil contra rectam rationem; nec proinde contra legem naturalem imperavit ubi Abrahamo præcepit, ut filium ſuum ipſi in holocauſtum offerret; nedum igitur legem naturalem violaverit Abrahamus; ipſi contra obtemperavit: præcipit enim jus naturale, ut jubenti Deo ſemper pareamus, qui nihil niſi juſtum imperare poteſt.

Objic. 2. Furtum prohibet lex naturalis: atqui tamen Hebræos ab illo præcepto liberos fecit Deus, dum ipſis permiſit, ut vaſa argentea quæ ab Ægyptiis utenda acceperant, ſecum auferrent, ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Quia in facto quod objicitur nullum fuit furtum. Quid enim eſt furtum, niſi rei alienæ ablatio? atqui Iſraelitæ, dum Ægyptios ſpoliarunt, non rem alienam, ſed ſuam

ſuam ſpoliarunt, non rem alienam, ſed ſuam aſportarunt. Deus quippe qui bonorum temporalium ſupremus eſt Dominus, eaque ſingulis prout vult, dividit, in Hebræos transtulerat earum rerum dominium, quas Ægyptiis abſtulere. Qua in re Deus æquitatis regulas ſervavit: per multos enim annos Ægyptii Iſraelitas duris laboribus oppreſſerant, eoſque debita mercede crudeliter fraudaverant. Hoc vero populi ſui damnum Deus compenſavit, dum ipſi permiſit, ut Ægyptiorum vaſa ſecum abduceret.

SECTIO III.

Utrum invincibiliter *ignorari poſſit lex naturalis.*

IN eo conſentiunt Philoſophi Theologique omnes, quod ignorantiæ inſuperabili ſubjacere nequeant tum primaria legis naturalis principia, tum concluſiones quæ ex iis proxime derivantur. Ex. gr. ex iſto naturæ principio, *alteri ne feceris quod tibi fieri nolis*, pronum eſt colligere non eſſe occidendum, non furandum, &c. ſed in eo diſcrepant, quod alii velint *invincibiliter* ignorari poſſe legem naturalem, ubi agitur de nonnullis concluſionibus quæ a primariis præceptis ſunt remotiores; alii vero doceant in his quæ ad legem naturalem pertinent nullam admittendam eſſe ignorantiam prorſus invincibilem, ita ut ſemper plus minuſve peccet, quiſquis legem illam violaverit. Cum iis poſterioribus ſit

PROPOSITIO.

Juris naturalis ignorantia nunquam eſt vere invincibilis.

Prob. 1. EA lex nunquam ignorari poteſt *invincibiliter*, quæ creaturam rationa-

nalem ſemper obligat; nullum quippe datur præceptum impoſſibile: atqui lex naturalis creaturam rationalem ſemper obligat. Lex enim quæ eſt immutabilis; lex quæ nullam *diſpenſationem* admittit; lex quæ nihil jubet aut vetat, niſi quod ex natura ſua bonum eſt vel malum, certe creaturam rationalem ſemper obſtrictam tenet: atqui, fatentibus adverſariis, ii ſunt legis naturalis proprii characteres; ergo ſemper obligat, ac proinde nunquam poteſt *invincibiliter* ignorari.

Prob. 2. Ea ignorantia nunquam eſt vere inſuperabilis, quæ hominis vitio ſemper imputari debet: atqui legis naturalis ignorantia hominis vitio ſemper tribuenda eſt; ſiquidem, teſte Scriptura, Deus ſapientiam divinam, cujus participatio quædam eſt lex naturalis, iis impertitur, qui eam, quantum ſatis eſt, quærunt & poſtulant: *Sapientia invenitur ab his qui quærunt illam.* (*Sap.* 6. 13.) *Si quis veſtrum*, inquit Apoſtolus, *indiget ſapientia, poſtulet a Deo qui dat omnibus affluenter.* (*Jacob.* 1. 5.) Si quis igitur legem naturalem ex aliqua parte ignoraverit, ſeipſum accuſet, quod cæleſti lumini aditum ſua culpa præcluſerit. *Ut innoteſcat quod latebat*, inquit Auguſtinus, *gratia Dei eſt quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipſis cauſa eſt, non in Deo.* (*Lib.* 2. *de peccat. merit. & remiſſ. cap.* 17. *num.* 26. *tom.* 10. *pag.* 54.) Eo minus excuſari poteſt homo, quod cum generalibus quibuſdam principiis, quæ ipſius menti indita ſunt, quadam veluti cognatione conſpirent cetera juris naturalis præcepta, & in iis ſint quaſi implicita: hæc autem primaria generalioraque principia bene introſpecta, ad aliorum cognitionem veluti manu ducunt.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Datur ignorantia invincibilis juris poſitivi; ergo pariter datur ignorantia invincibilis juris naturalis.

Reſp.

Reſp. Neg. conſeq. & parit. Diſſimilis prorſus eſt Juris naturalis & juris poſitivi ratio: jus ſcilicet naturæ prorſus immutabile eſt; quidquid præcipit ex natura ſua bonum eſt, malum vero quidquid prohibet. Præterea lex naturalis, omnium mentibus inſita eſt; eam igitur, utpote ſibi à Deo inditam, nonniſi ſua culpa ignorare poteſt homo, ob pravos ſcilicet quoſdam affectus, quibus obſcuratur.

Contra vero leges poſitivæ a libera legislatoris voluntate pendent, penes quem eſt eas condere, reſtringere, mutare, abrogare. Quod vetant, ex ſe malum & illicitum non eſt; ſed ideo tantum quod libero decreto prohibeatur. Præterea earum cognitio cum primoribus morum principiis in mente noſtra a natura conſignatis nullam habet cognationem, nec quantalibet animi puritate comparatur. Unde fieri poteſt, ut ſine ulla hominis culpa ignorentur leges poſitivæ, & citra peccatum violari poſſint; earum igitur notitiam a Deo poſtulare minus tenentur homines. Dum enim aliquis propter ignorantiam contra ſolum jus poſitivum agit, ipſius voluntas non fertur in rem ex ſe malam & turpem; ſecus vero cum aliquis legem naturalem ex ignorantia infringit.

Objic. 2. Circa nonnullas quæſtiones ad jus naturale pertinentes diſſident viri doctiſſimi ſimul & ſanctiſſimi. Sic putat S. Thomas a judice damnari eum poſſe, quem innocentem privata novit ſcientia; quod negat S. Bonaventura; ergo nonnullæ ſunt remotiores juris naturalis concluſiones, quæ *invincibiliter* ignorari poſſunt.

Reſp. Neg. conſeq. Ex objecto enim exemplo id unum ſequitur, nempe in iis quæ ad legem naturalem pertinent falli poſſe ſanctos vel acutiſſimos, minime vero inſuperabilem omnino eſſe ejuſmodi errorem. Ea quippe opinionum diſcrepantia potuit contingere, vel ex nonnullis præjudiciis, a quibus immunes non ſunt viri etiam ſanctiſſimi & doctiſſimi; vel

ex

ex eo quod in excutienda quæſtione non ſatis diligentiæ adhibuerint, vel ex aliqua culpa cujus expertes non ſunt viri vel piiſſimi. Præterea frequenter monuerunt SS. Patres nullam opinionem vel doctrinam falſam a peccato eum liberare, qui contra legem æternam, cujus manatio quædam eſt lex naturalis, agit. *Quod agitur contra legem*, inquit S. Thomas, *ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam.* (*Quodlib.* 8. *art.* 13.)

Objic. 3. Idem ferendum eſt judicium de juris naturalis remotioribus conſequentiis, ac de principii cujuslibet ſpeculativi conſecutionibus pariter remotis: atqui ſæpe contingit ut conſecutiones remotæ in ſpeculativis, ignorantiæ invincibili ſubjaceant: v. g. nemo neſcit triangulum tribus angulis, totidemque lateribus conſtare; verum quot homines invicte ignorant, quadratum baſis in triangulo rectangulo, quadrata duorum aliorum laterum ſimul ſumpta æquare! ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Ratio diſparitatis eſt, quia juris naturalis cognitio, cum actus noſtros dirigere debeat, magis a pectore, quam a mente, magis ab animi puritate, quam ab ingenii ſubtilitate pendet. Si quis ergo mentem ſuam ab omni prava cupiditate exemerit; ſi humili oratione ad Deum confugerit; ſi pios doctóſque viros ſine fraude, ſine diſſimulatione conſuluerit, cum agitur de rebus dubiis, & violandæ legis divinæ periculum imminet; is profecto vel certam cognitionis veritatem aſſequetur, vel ſi dubius remanſerit, partem tutiorem amplectetur. Longe autem aliter ſe habent veritates ſpeculativæ; in actus humanos non influunt; earum cognitio magis ab ingenii ſagacitate, quam a mentis puritate pendet; & ſine ullo ſalutis periculo invicte ignorari poſſunt.

PA-

PARAGRAPHUS II.

De Lege poſitiva.

Quidquid ad legem poſitivam pertinet, in triplici ſectione exponemus. In 1. quænam ſint legis poſitivæ notio, diviſio & objectum; in 2. utrum Principes ſæculares & Eccleſia poſſint leges condere quæ conſcientiam obligent, & quid utrique huic poteſtati ſit proprium, expendemus; in 3. nonnullas proponemus quæſtiones ad legis poſitivæ obligationem pertinentes.

SECTIO I.

De Legis poſitivæ notione, diviſione & objecto.

Quæres 1. Quænam ſit legis poſitivæ notio.

Reſp. Lex poſitiva ea dicitur quæ mentibus noſtris non inſita eſt, ſed ab aliquo legislatore extrinſecus poſita & conſtituta. Definiri vel deſcribi poteſt, *præceptum commune, juſtum, ad bonum publicum ſpectans, ab eo qui communitatis curam habet promulgatum, pœnis vel etiam præmiis ſancitum.*

Dicitur 1. *præceptum*, qua voce deſignatur genus, quia præceptum latius patet quam lex, cum lex quælibet præceptum ſit, ſed non vice verſa. Præterea lex, quatenus importat præceptum, differt a conſilio, quod per ſe non obligat.

Dicitur 2. præceptum *commune*, quia præceptum alicui privato datum, proprie non eſt lex; ſic mandatum quod a Deo accepit Abrahamus de occidendo filio, præceptum fuit, non lex, quia perſonæ privatæ tantum, non vero communitati impoſitum fuit.

Dicitur 3. *juſtum*: *Lex mihi eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit*, inquit Auguſtinus; (*Lib.* 1. *de lib. arbit. cap.* 5. *tom.* 1. *pag.* 573.) illius au-

autem juſtitia triplici ex capite repetenda eſt, 1. Ex parte objecti, quod honeſtum, licitum & legis divinæ conſentaneum eſſe debet; 2. ex parte legislatoris, qui non debet poteſtatis ſuæ limites prætergredi; 3. ex parte ſubditorum, quibus ita diſtribuenda ſunt Reipublicæ onera, ut cujuſque facultatum ratio habeatur.

At, inquies, hæc conditio populos ad ſeditionem impelleret, quia nulla fere eſt lex de cujus injuſtitia conqueri non ſoleant.

Reſp. Non ex vulgi opinione, ſed ex ſapientum judicio æſtimandam eſſe legum æquitatem; porro qui vere ſapiunt, iniquas eſſe leges non facile ſuſpicantur: norunt enim illas plerumque propter rationes cauſaſque occultas conſtitui. Aliunde judicant ſatius eſſe legi, quantvis duriori, ſeſe ſubjicere, quam ad eam tollendam ſeditiones excitare, ex quibus graviſſima in Rempublicam mala derivarentur. Præterea in dubio juſtane ſit lex, an injuſta, eam ſervandam eſſe conſtat, quia tunc locum habet iſtud juris effatum: *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*; leges autem condendi, ſubditiſque imponendi jus poſſidet Superior, quod proinde extinguere non poteſt inferioris dubitatio: alioqui nimia ſubditis permitteretur licentia ſeſe legibus eximendi cum ſubvertendæ Reipublicæ periculo.

Dicitur 4. *ad bonum publicum ſpectans*. Legislatores enim ſuam a Deo poteſtatem non accepere; ut privatis ſervirent commodis; ſed ut ſubditorum, quos pro filiis habere debent, utilitati conſulerent.

Dicitur 5. *ab eo qui curam habet communitatis*. Cum enim lex totam pro qua fertur ſocietatem obliget, certe a legitimo ſuperiore fieri debet; ab eo ſcilicet qui Reipublicæ curam gerit, ipſique præeſt. Unde paterfamilias præcepta quidem dare poteſt, non vero leges conſtituere, quia lex communitatem reſpicit, non ſolam familiam.

Di-

Dicitur 6. *promulgatum*: ut enim lex obliget debet innoteſcere: atqui id fieri non poteſt, niſi promulgatione, qua ſola lex eo denuntiatur modo, qui parendi officium inducat. Præterea lex ſtatuitur inſtar regulæ ad cujus normam ſuas actiones exigere tenentur ſubditi: atqui regula iis declaretur neceſſe eſt, qui ad eam debent ſuos actus componere: quandiu enim in mente legislatoris latet recondita, nullius actionis regula eſſe poteſt.

Ut tamen lex obliget eam omnibus & ſingulis cognitam eſſe minime neceſſe eſt: alioquin irritæ fierent omnes fere leges: vix enim aliqua eſt, quæ ad ſingulorum notitiam perveniat; ſed ea ſufficit promulgatio, qua ſolemniter, & juxta patriæ morem lex ita publicetur, ut cuilibet ſubdito facile poſſit innoteſcere: quo poſito, omnes lege conſtringuntur, ſive qui eam norunt, ſive qui eam ignorant.

Dicitur tandem *pœnis ſancitum*; quod appellatur *legum ſanctio*; alioqui legum obſervationi non ſatis conſuleret legislator.

Quæres 2. Quænam præcipuæ ſint legis poſitivæ diviſiones.

Reſp. Lex poſitiva dividitur potiſſimum in *divinam* & *humanam*.

Lex divina ea eſt quæ Deum habet auctorem. Duplex diſtinguitur, alia ſcilicet *vetus*, quæ in veteri; alia *nova*, quæ in novo Teſtamento continetur. Priorem Deus populo Judaico in monte Sinai per Moyſen Prophetam, poſteriorem vero omnibus hominibus dedit per Jeſum Chriſtum Filium ſuum. *Multifariam multiſque modis*, inquit Apoſtolus, *olim loquens Deus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*. (*Heb.* 1. 1.)

Poſterior Lex dicitur 1. *nova*, tum a ſuo effectu, quia hominem per gratiam interiorem renovat, Deique amicum & filium efficit; tum a tempore, quia poſt legem veterem ſive Moſaicam, quam abrogavit, inſtituta eſt. 2. *Evangeli-*

gelica, quia bonum & feliciſſimum continet nuntium, quo nempe remiſſio peccatorum, adoptio filiorum Dei, beatitudo cæleſtis hominibus promittuntur. Plurima ſunt legis veteris & legis novæ diſcrimina, quorum expoſitio pertinet ad Theologos.

Lex *humana* dividitur in *eccleſiaſticam* & *civilem*. Prior ab iis ſancita eſt, quos Chriſtus regendæ Eccleſiæ præpoſuit; poſterior autem ab Imperatoribus, Regibus aut Principibus conſtituta eſt.

Quæres 3. Quodnam objectum, ſive quænam materia ſit legis humanæ.

Reſp. Certum eſt legem quamcumque non eſſe debere, niſi de re laudabili & honeſta, vel ſaltem ex ſe indifferente, quæ ad bonum commune referri poſſit. Lex autem quæ præciperet aliquid ex natura ſua malum & turpe, eo ipſo non eſſet lex. Enimvero lex naturalis & divina cuicumque hominum legi anteferenda eſt; ac proinde nunquam licet ad utilitatem publicam aliquid decernere, quod ex natura ſua malum ſit. Hinc ſtatim ruit exercenda quorumdam Politicorum opinio, qui humanæ legis materiam fieri poſſe exiſtimant, quidquid ad Reipublicæ utilitatem conferre poteſt, quamvis injuſtum ſit. Ad hujuſmodi Politicos ſpectant hæc Apoſtolorum verba: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate.* (*Act.* 4. 19.)

SECTIO II.

De jure quod habent Principes ſæculares & Eccleſia, leges condendi quæ conſcientiam obligent; quid utrique huic Poteſtati proprium ſit.

Quæres 1. Utrum Principes ſæculares & Eccleſia poſſint leges ſtatuere, quæ conſcientiam obſtringant.

Quæ-

Quæſtionem hanc ſolvent ſequentes propoſitiones.

PROPOSITIO I.

Jus habent Principes ſæculares, leges condendi quæ conſcientiam obligent.

Prob. PRincipes ſæculares veram habent ſubditos regendi poteſtatem a Deo acceptam. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* (*Proverb.* 8. 15.) Atqui hæc poteſtas ſtare non poteſt ſine facultate leges condendi, quæ conſcientiam obligent: coercendi ſunt enim abuſus qui ſenſim irrepunt, & improbi pœnarum metu continendi: atqui hæc omnia, ſine legibus quæ conſcientiam obligent, fieri non poſſunt.

Idem de Principibus etiam Ethnicis teſtatur Scriptura; ſic enim præcipit Chriſtus: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* (*Luc.* 20. 25.) Atqui ibi Chriſtus legem de tributis ſolvendis, latam ab Ethnico Principe ſervari jubet, eamque vim obligandi habuiſſe ſupponit, iſta ſubjungendo: *& quæ ſunt Dei, Deo.* Idem ſic docet Apoſtolus: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt ... ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram* (ſive pœnam), *ſed etiam propter conſcientiam.* (*Rom.* 13. *v.* 2. & 5.)

Hic agitur de legibus quæ ab Imperatoribus paganis latæ fuerant: atqui, teſte Apoſtolo, ita conſcientiam obligarunt, ut qui iis reſiſtebant, ipſi Deo reſiſterent, & idcirco in damnationem incurrerent; ergo, &c.

Religionis Chriſtianæ documentis accedit ratio naturalis, quæ præcipit ut omnes & ſinguli cives legibus civilibus optemperent: Illæ enim ſunt firmiſſimum auctoritatis regiæ fundamentum, arctiſſimum ſocietatis vinculum, innocen-

tiæ oppreſſæ perfugium. Leges omnium & ſingulorum conſervationi invigilant, civium jura, poſſeſſiones, atque etiam vitam tuentur; cum igitur illarum beneficio incolumes ſimus & ſecuri, jubet ratio naturalis ipſis debitum rependi obſequium. Si tamen lex humana quidpiam præciperet, quod juri naturali vel divino adverſaretur, omnia patienter eſſent toleranda, potius quam legislatori, contra divinam voluntatem imperanti, obtemperandum: tunc enim *obedire oportet Deo magis quam hominibus*. (*Act.* 5. 29.)

PROPOSITIO II.

Poteſt Eccleſia leges condere quæ vim obligandæ conſcientiæ habeant.

Prob. ID poteſt Eccleſia quod potuit Apoſtolorum ætate; neque enim intra certum tempus coercetur poteſtas eidem a Chriſto his verbis conceſſa: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* (*Matth.* 11. 17.) *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* (*Luc.* 10. 16.) Atqui Apoſtolorum temporibus potuit Eccleſia leges inſtituere quæ conſcientiam obſtringerent, & nonnullas reipſa ſtatuerunt Apoſtoli: ſic in Concilio Hieroſolymitano legem ediderunt, qua gentibus ad fidem converſis præceptum eſt *ut a ſuffocato & idolothytis abſtinerent*. Atqui hac lege obligatam fuiſſe conſcientiam ex iis verbis conſtat: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, &c.* (*Act.* 15. 28.) Teſtatur ipſemet Apoſtolus ſe ex accepta divinitus poteſtate leges quaſdam condidiſſe. *Scitis*, inquit, *quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum*. (1. *Theſſal.* 4. 2.) eamdem ſibi facultatem vindicavit Eccleſia prioribus ſæculis, ut patet ex canoni-

nonibus, ſive decretis quæ circa diſciplinam edidit; ergo; &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Dantur leges mere pœnales; atqui hujuſmodi leges nullam obligationem inducunt, ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Leges enim mere pœnales illæ eſſent quæ pœnam quidem intentarent, conſcientiam vero non obſtringerent: atqui non dantur hujuſmodi leges: namque vel munitæ ſunt conditionibus ad veram legem requiſitis, & auctoritate legitima conſtitutæ ſunt, ſolemniter ac rite promulgatæ, tuncque iis obtemperandum eſt, ac proinde veram obligationem inducunt; vel carent prædictis conditionibus, nec fuerunt auctoritate legitima ſancitæ, neque juxta morem ſolitum promulgatæ, tuncque nullo modo ſunt leges. Et certe omnis pœna vel injuſta eſt, vel alicui peccato infligitur: atqui nullum eſt peccatum, ubi nulla exiſtit obligatio; ergo non dantur leges mere pœnales.

Inſtab. Imperatorum Romanorum adverſus Chriſtianos leges auctoritate legitima conſtitutæ, ſolemniterque promulgatæ fuerant; atqui tamen nulla ipſis vis inerat conſcientiam obligandi: imo potius tenebantur Chriſtiani ſuæ religioni conſtanter adhærere; ergo dantur leges proprie dictæ quæ nullam obligationem inducunt.

Reſp. Neg. maj. Leges enim poſitivæ vim legis non habent, niſi juri tum naturali tum divino ſint conſentaneæ; neque ſubditis licet obtemperare principibus aliquid contra jus vel naturale vel divinum imperantibus: atqui utrique huic juri adverſabantur Imperatorum adverſus Chriſtianos leges; 1. quidem juri naturali. Nam injuſtum eſt pœnas graviſſimas in eos decernere qui nullum ſcelus commiſere, nihil contra publicum ordinem moliti ſunt: atqui tales

erant Chriſtiani, ut confitetur ipſe Plinius junior in epiſtola ad Trajanum, quæ inſigne eſt Chriſtianorum innocentiæ monumentorum. Non teſtatur enim ille ſcriptor, niſi quod viderat, vel ab aliis accurate exploraverat. De Chriſtianis ita ſcribit ad Trajanum: *Soliti ſtato die ante lucem convenire .... ſeque ſacramento, non in ſcelus aliquod obſtringere; ſed ne furta, ne latrocinia & adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.* (*Lib.* 10. *Ep.* 97.) Ergo 1. cum jure naturali pugnabant Imperatorum adverſus Chriſtianos edicta; 2. & cum jure divino: fuiſſe enim divinitus revelatam Religionem Chriſtianam fateantur adverſarii neceſſe eſt; alioquin ad rem non pertineret propoſita difficultas; Religionem igitur Chriſtianam ſplendidis divinæ revelationis characteribus coruſcantem amplecti, non perſequi debuerunt Principes; ergo juri tum divino, tum naturali adverſabantur Imperatorum adverſus Chriſtianos edicta, ac proinde vim legis non habuerunt.

Inſtab. Saltem in ordine politico juſtæ erant prædictæ leges: poſtulat enim ordo politicus, ut novæ religiones legum ſeveritate coerceantur: atqui nova erat Religio Chriſtiana; ergo debuit legum ſeveritate coerceri.

Reſp. Diſt. maj. Legum ſeveritate coerceantur, ſalvo jure veritatis, conc. maj. violato jure veritatis, neg. maj.

Regimini enim politico non licet quidquam decernere, quod veritatem offendat, quæ primum & maximum eſt humanitatis bonum. Quid ergo præſtare debet in Religionis negotio Princeps populorum amans, niſi ut veram Religionem agnoſcat, & ſemel cognitam populorum obſequio & venerationi commendet, ac proinde arceat profanas novitates ſemper Reipublicæ periculoſas, publicoſque Religionis contemptores pœnis afficiat, quantum ſuadet aut permittit charitas & manſuetudo chriſtiana, &

& niſi gravius malum metuendum occurrat?

Inſtab. Exigit ordo politicus ut violentis quibuſcumque mutationibus occurratur: atqui nova Religio, etiam vera, hujuſmodi converſiones & mutationes inducit; ergo Religio Chriſtiana debuit, juxta politicum ordinem, legum ſeveritate coerceri.

Reſp. Neg. min. quæ falſitatem & calumniam involvit; ſupponit enim potuiſſe Religionem Chriſtianam tranquillitati publicæ aliquid detrimenti afferre: atqui illud falſum eſt & calumnioſum. Deus quippe Religionis Chriſtianæ inſtitutor ſapientiſſimus, eam cuilibet regiminis formæ ſic attemperavit, ut omnibus prodeſſe, nulli nocere poſſit. Nullam reperias Religionem, quæ publicæ felicitati magis faveat. Quam veritatem confitentur optimi rei politicæ Doctores, & præſertim clariſſimus auctor libri cui titulus, *Eſprit des Loix*. Id etiam probant ejuſdem Religionis documenta, & eorum exempla qui ad chriſtianæ diſciplinæ normam ſuos mores qualibet ætate accommodarunt.

Objic. 2. Si Eccleſiæ ineſſet leges condendi poteſtas, quamdam haberet juriſdictionem: atqui nullam habet; ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Quamdam in ſpiritualibus juriſdictionem haberet, conc. in temporalibus neg. ſimiliter diſtinguo min. Itaque nullam in temporalibus juriſdictionem accepit a Chriſto Eccleſia. Eam quippe tantum poteſtatem Eccleſiæ conceſſit Chriſtus, qua ipſe, ut homo, donatus fuerat a Patre, ut ſic Apoſtolis teſtatur: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* (*Joan.* 20. 21.) Atqui negat Chriſtus ſe ullam a Patre poteſtatem temporalem accepiſſe. *Regnum meum*, inquit, *non eſt de hoc mundo.* (*Joan.* 18. 36.) Poſtulanti cuidam ut fratri jubeat hereditatem cum eo dividere, aſſerit ſe rerum terrenarum judicem non eſſe conſtitutum. *Quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* (*Luc.* 12. 14.) ergo, &c.

Verum in rebus ad ſalutem pertinentibus a Chriſto juriſdictionem accepit Eccleſia. Ipſius eſt ſacramenta conferre, Religionis Miniſtros conſecrare, peccatores ſolvere aut ligare, controverſias circa fidem & mores exortas definire. Ad eam quoque pertinet diſciplinæ decreta condere ad fidelium pietatem vel reſtituendam, vel augendam, ea tamen lege, ut nullum in ordine civili effectum obtineant, niſi acceſſerit Poteſtatis ſæcularis conſenſus. Hæc ſumma eſt juriſdictionis quam Eccleſiæ Chriſtus conceſſit. Si quæ poſſeſſiones aut dignitates ſæculares eccleſiaſticis perſonis decurſu temporum obtigerint, illæ ad primitivam Eccleſiæ conſtitutionem non pertinent, at ſuam vel a pietate fidelium, vel a Principum munificentia & conceſſione ducunt originem.

Inſt. Atqui Eccleſia nullam, etiam in ſpiritualibus, habet juriſdictionem; ſi quam enim haberet, poſſet ſuarum legum violatores pœnis afficere: atqui id non poteſt; ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Poſſet pœnis ſpiritualibus & canonicis afficere, conc. pœnis ſæcularibus, neg.

Pœnæ ſpirituales & canonicæ ſitæ ſunt in bonorum ſpiritualium v. g. Sacramentorum & Communionis eccleſiaſticæ privatione: pœnæ vero ſæculares in bonorum temporalium, v. g. dignitatum civilium, fortunæ aut etiam vitæ amiſſione conſiſtunt. Hujuſmodi quidem bonis quemquam exuere non poteſt Eccleſia, neque ſtatum civilem mutare; ſed jus habet quemlibet fidelium, legitimam ob cauſam, ſervatiſque legibus canonicis a Sacramentis, vel eccleſiaſtica communione excludendi, ad communem totius corporis, & privatam delinquentis utilitatem.

Quæres 2. quænam eccleſiaſticæ, quænam civilis poteſtatis propria ſint.

Reſp. Poteſtatis Eccleſiaſticæ propria ſunt quæcumque ad vitam ſpiritualem & ſalutem popu-

pulorum referuntur. Ad ſolam igitur Eccleſiam pertinet 1. docere quidquid Chriſtus Paſtorum Princeps credendum & ſervandum Apoſtolis commendavit, ac proinde controverſias dirimere in quibus de fide & moribus agitur; 2. Baptiſmum aliaque Sacramenta conferre, ac ea decernere quæ ad cultum Religionis ſpectant; 3. Eccleſiæ Miniſtros conſecrare, atque etiam e ſuo gradu dejicere, ſi miniſterio indignos ſeſe præbuerint; 4. peccatorum nexus in pœnitentiæ tribunali ſolvere vel ſtringere, & contumaces ſuarum legum violatores a fidelium communione ſegregare.

Poteſtatis civilis propria ſunt quæcumque ad publicum ordinem & bonorum temporalium poſſeſſionem referuntur; poteſtatis igitur ſæcularis iſta ſunt munia: 1. ea ſtatuere quæ ad publicæ tranquillitatis conſervationem pertinent, v. g. bellum denuntiare, legationes mittere, fœdera componere; 2. leges condere quæ ordinem publicum ſpectant, eorumque contemptores pœnis *ſæcularibus*, *mulctarum ſcilicet irrogatione*, *infamia*, *vel ultimo etiam ſupplicio*, ſi neceſſe fuerit, plectere; 3. ab iiſdem legibus immunitatem concedere, pœnaſque ab ipſis impoſitas remittere, ſi quando id expedire Legislatori videatur; 4. temporales civium poſſeſſiones tueri, ſcilicet fortunam, honorem & vitam.

Utraque igitur Poteſtas eccleſiaſtica & civilis in ſuo quæque genere ſuprema eſt, a ſoloque Deo immediate pendet; utraque ab ipſo primitus accepit quidquid ad ſuam perfectionem & integritatem neceſſarium eſt. Omnes & ſinguli Eccleſiæ Miniſtri, utpote cives, Regum & Magiſtratuum auctoritati in ordine publico ſubmittuntur. Verum ſpiritualis auctoritas Eccleſiæ Paſtoribus a Deo credita, a civili poteſtate non pendet. Pariter Principes Chriſtiani, eo nomine Paſtorum auctoritati ſubditi ſunt; at ſuprema eorum poteſtas clavium miniſterio non ſubjicitur.

citur. Hinc illa Boſſuet verba, qui ſuperiori ſæculo clariſſimus extitit hujus doctrinæ defenſor & vindex: *In eo ſunt Patres omnes, ut ambas poteſtates divino Numine ſeparatas, ac ſuis finibus circumſcriptas, unique Deo ſubditas eſſe pronuntient*. (*Defenſ. Declarat. Cleri Gallic. part. 2. lib. 5. cap. 33.*)

Quamvis ambæ poteſtates a ſe invicem Deo ſic inſtituente, diſtinctæ ſint, amico tamen & mutuo fœdere conſociantur. Quemadmodum enim Religionis Chriſtianæ documenta præcipiunt, ut Regi & Magiſtratibus pareamus, *non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam*; ſic etiam curat juriſdictio temporalis ut ſerventur Leges eccleſiaſticæ; populorum obſequium, & venerationem Religioni conciliat, publicoſque ejus contemptores pœnis, quantum neceſſe eſt, coercet.

SECTIO III.

De nonnullis quæſtionibus ad Legis poſitivæ obligationem pertinentibus.

QUæres 1. quandonam lex poſitiva cenſeatur graviter & ſub peccato mortali obligare?

Reſp. id triplici potiſſimum ex capite æſtimandum eſſe; 1. ex gravitate materiæ, quando ſcilicet Legiſlator rem ex ſe, vel ex circumſtantiis gravem præcipit aut prohibet; 2. ex gravitate verborum quibus utitur; v. g. cum aliquid imperat aut vetat *ſub indignatione Dei, ſub interminatione divini judicii*. Quæ formulæ in legibus canonicis nonnunquam uſurpantur; 3. ex gravitate pœnæ trangreſſoribus impoſitæ. Hujuſmodi ſunt in jure eccleſiaſtico, *excommunicatio, ſuſpenſio, depoſitio, interdictum*; in jure autem civili, pœna capitis, carceris perpetui, publicationis bonorum, &c. hæc enim pœnarum ſeveritas ab æquo judice pro levibus culpis decerni non poteſt.

QUÆ-

Quæres 2. utrum lex humana obliget cum mortis, aut gravis alicujus incommodi periculo.

Reſp. 1. eam ita non ſemper obligare; majorem enim obligandi vim non habet lex humana, quam divina: atqui divina lex poſitiva non ſemper obligat cum gravi periculo. Nam lege divina prohibitum erat, ne quis vel panes *propoſitionis* comederet, vel die ſabbathi aliquid operis ſervilis ageret: atqui tamen illæ Dei ipſius leges non obligarunt cum gravi vitæ periculo; potuit quippe David, urgente neceſſitate, panes ſanctos commedere; potuerunt & Machabæi pugnare die ſabbathi; ergo, &c.

Reſp. 2. legem humanam aliquando, etiam imminente vitæ periculo, obligare; quando ſcilicet bonum ex ejus obſervatione ſecuturum vitæ prævalet; vel cum malum ex ejus violatione oriturum, vitæ diſpendio majus eſt. Hæc regula nititur lege æterna, ſive ordine immutabili, qui jubet meliora deterioribus anteponi. Sic tenetur miles excubias agere, & aſſignatam ſibi ſtationem ſervare, etiam cum certo vitæ periculo; quia civitatis, vel exercitus conſervatio longe potior eſt unius militis vita: item ſi quis ex Fidei & Eccleſiæ contemptu fidelem vi impelleret ad violandum jejunium, deberet iſte potius mori, quam jejunium frangere; Fidei enim & Eccleſiæ contemptus longe gravius eſt malum, quam vitæ amiſſio.

Quæres 3. quid agendum ſit cum occurrunt duo præcepta quæ ſimul obſervari nequeunt.

Reſp. illud anteferendum eſſe quod gravius eſt ac præſtantius. Hinc præcepto juris naturalis aut divini cedere debet præceptum humanum, quia naturæ lex circa res omnino neceſſarias verſatur, & Deus homine longe ſuperior eſt: hinc etiam præceptum caritatis, quæ omnium virtutum eſt præſtantiſſima, aliarum exercitio prævalere debet: omittendo igitur jejunia, preces, auditio Miſſæ, & cetera hujuſmodi, ut caritatis officium proximo, qui eo graviter indi-

get, præſtes, ſi utrumque ſimul præceptum implere nequeas.

Quæres 4. utrum lex de tributis ſolventis vere & proprie conſcientiam obliget?

Reſp. Ea de re dubitare non poteſt quiſquis Chriſtum audierit ſic imperantem: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* (*Luc.* 20. 25.) Ibi agitur de cenſu Imperatoribus ſolvendo: atqui ea de re Chriſtus verum ſtatuit præceptum, quod conſcientiam teneat obſtrictam, ſiquidem ſolvendorum tributorum obligationem comparat cum officiis Deo debitis. Idem ſic jubet Apoſtolus: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* (*Rom.* 13. 7.) Et vero quid rationi & æquitati magis conſentaneum eſt, quam cives, pro ſuis facultatibus, ſubſidia Principi ſubminiſtrare, quibus poſſit & ſuam dignitatem, ut par eſt, ſuſtinere, & communi Reipublicæ bono conſulere.

DISSERTATIO II.

De actuum humanorum proprietatibus.

Actuum humanorum proprietates ſunt bonitas vel malitia moralis. Bonitas autem actuum humanorum moralis generatim eſt eorum cum recta ratione conſenſio. *Rectum factum nullo modo eſſe poteſt*, inquit Auguſtinus, *quod non a recta ratione proficiſcitur.* (*Lib. de utilitate credendi, cap.* 12. *n.* 27. *tom.* 8. *pag.* 63.) Recta autem ratio vel eſt *increata* quæ in mente divina exiſtit, & *lex æterna* dici ſolet; vel *creata* quæ lumen eſt creaturæ rationali a Deo inſitum, ſive ipſa legis æternæ cognitio, quid bonum malumve, quid faciendum, aut fugiendum ſit indicans.

Malitia moralis generatim eſt actus humani a recta ratione, ſive lege æterna, diſſenſio. Hic tria potiſſimum occurrunt excutienda, 1. utrum bo-

bonitas & malitia moralis ſit aliquid in actu poſitivum; 2. an alterutra cuilibet actui humano ita competat, ut nullus ſit indifferens; 3. unde repetenda ſit actuum humanorum bonitas vel malitia moralis.

CAPUT PRIMUM.

Utrum bonitas vel malitia moralis ſint aliquid in actibus humanis poſitivum.

PROPOSITIO I.

Bonitas moralis eſt aliquid poſitivum.

PRobatur: Bonitas actus humani eſt illius cum recta ratione, ſive æterna, conſenſio: atqui hæc conſenſio eſt aliquid poſitivum, non merum nihilum; ſiquidem, ex omnium conſenſu, vera eſt perfectio: ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Malitia moralis eſt privatio rectitudinis debitæ.

PRobatur: In eo conſiſtit malitia moralis, quo poſito, actus humanus ſtatim intelligitur malus: atqui, poſita ſola privatione rectitudinis debitæ ex parte objecti, ſive finis, ſive circumſtantiarum, actus humanus illico concipitur malus, juxta vulgare illud effatum, *Malum ex quocumque defectu*. Et vero tam privatio perfectionis actui humano debitæ hunc efficit moraliter malum, quam privatio perfectionis in opere phyſico requiſitæ, illud efficit in ſuo genere malum: atqui privatio perfectionis in opere phyſico, &c. ex. g. horologium, ſi careat apta rotarum conformatione, eo ipſo malum dicitur & vitioſum: ergo, &c.

Præterea ſi malitia moralis eſſet aliquid poſitivum, Deus cenſendus foret illius auctor, ſiquidem

dem *omnia per ipſum facta ſunt , & ſine ipſo factum eſt nihil.* (*Joan.* 1. 3.) : atqui nefas ſit Deo, tanquam auctori, tribuere malitiam moralem actuum humanorum, cum a ſumma ejus ſanctitate ſit alieniſſima; ergo, &c. Hanc eſſe Patrum & Boſſuet doctrinam, patet ex iis quæ diximus, ubi de præmotione; quem locum conſulite.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Illud eſt poſitivum quod habet cauſam poſitivam: atqui malitia moralis habet cauſam poſitivam; ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Illud eſt poſitivum quod habet cauſam poſitivam & efficientem, conc. quod habet cauſam poſitivam, ſed deficientem, neg.

Porro quod proficiſcitur ex cauſa deficiente, dici non poteſt aliquid poſitivum. Sic tenebræ quæ a ſole deficiente exoriuntur, nihil ſunt poſitivi, atqui malitia moralis habet quidem cauſam poſitivam, ſed deficientem, nempe voluntatem humanam, quatenus actiones ſuas ad rectam rationem non dirigit, nec informat. *Nemo quærat cauſam efficientem malæ voluntatis*, inquit Auguſtinus, *non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia illa non eſt effectio, ſed defectio.* (*Lib.* 12. *de Civit. Dei, cap.* 7. *tom.* 7. *pag.* 306.)

Inſt. Quod efficitur, habet cauſam efficientem: atqui malitia moralis efficitur; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Actus quidem malus efficitur v. gr. hominis occiſio, non vero illius malitia. Ea quippe nihil aliud eſt, quam privatio conſenſionis cum lege divina, ſeu cum recta ratione: atqui illa privatio non efficitur; ſiquidem merum eſt nihilum; ergo, &c.

Quod ut magis eluceſcat, ſit iſtud exemplum: tortor publicus hominem morte plectit; homo privatus alterum hominem animo vindictæ, & propria auctoritate interficit. Tortor publicus non peccat occidendo; homo privatus reus eſt ho-

homicidii: in utroque phyſicus actus omnino idem ſupponi poteſt: in ipſo igitur non conſiſtit peccatum; neque enim in voluntate occidendi phyſice ſpectata; in utroque enim reperitur; ergo peccatum ſitum eſt in voluntate moraliter conſiderata. Tortor publicus occidit ex lege publica, a Deo probata; idcirco non peccat: homo privatus interficit contra legem divinam ſic prohibentem, *non occides*: ergo illius actus malitia moralis in eo conſiſtit, quod a lege divina deficiat; defectus autem & privatio ſunt quid unum & idem.

Inſt. Si malitia moralis non efficeretur, nullum eſſet diſcrimen inter peccatum *commiſſionis*, & peccatum *omiſſionis*; utrumque enim eſſet mera privatio: atqui tamen inter utrumque plurimum intereſt diſcriminis; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Peccatum enim *commiſſionis* eſt privatio convenientiæ cum lege divina ex parte actus ipſius; peccatum autem omiſſionis eſt actus debiti privatio. Præterea peccatum *commiſſionis* opponitur præcepto *negativo*; furtum v. g. adverſatur huic præcepto, *non furaberis*: *omiſſionis* vero peccatum pugnat cum præcepto *affirmativo*; ex. g. omiſſio jejunii contraria eſt iſti præcepto, *jejunabis*.

Inſtab. Saltem nullum eſſet diſcrimen inter peccatum per exceſſum, & peccatum per defectum v. g. inter prodigentiam & avaritiam: utrumque enim eſſet mera privatio: atqui falſum conſequens; ergo & antecedens.

Reſp. Neg. maj. Ea quippe differunt, quorum alterum eſt peccatum *commiſſionis*, alterum vero eſt peccatum *omiſſionis*; atqui culpa *per exceſſum* v. g. prodigentia, eſt peccatum *commiſſionis*; prodigus enim ſuas facultates temere effundit; culpa vero *per defectum*, ut avaritia, eſt peccatum *omiſſionis*: avarus enim non dat quantum poteſt & debet; ergo hæc duo peccata a ſe invicem maxime diſcrepant.

Obj. 2. Si malitia moralis in privatione con-

ſiſteret, omnia peccata eidem virtuti oppoſita eſſent æqualia: atqui tamen illud falſum eſt; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Illa enim peccata non ſunt æqualia, quorum unum magis recedit ab eadem virtute, quam alterum: atqui licet malitia moralis in privatione poſita ſit, attamen ex peccatis idem virtuti oppoſitis, unum ab ea magis, & alterum minus recedit; v. g. avaritia magis a liberalitate disjungitur, quam prodigentia; avarus enim ad exercendam liberalitatem; longe minus aptus eſt, quam prodigus.

Objic. 3. Cauſa effectus poſitivi eſt aliquid poſitivum: atqui malitia moralis eſt cauſa effectus poſitivi, nempe æterni ſupplicii; ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Cauſa efficiens & phyſica effectus poſitivi, eſt aliquid poſitivum, conc. cauſa moralis & occaſionalis, neg.

Porro malitia peccati, moralis duntaxat & occaſionalis eſt cauſa æterni ſupplicii, non vero efficiens. Plurimi enim damnabuntur propter bonorum operum omiſſionem, ut ſic legitur: *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum ... eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare: ſitivi & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus & in carcere, & non viſitaſti me.* (*Matth.* 25. v. 41. & *ſeq.*) Atqui bonorum operum omiſſio non poteſt eſſe cauſa efficiens & phyſica damnationis, ſed tantum cauſa moralis & occaſionalis; ergo; &c.

CAPUT II.

Utrum admittendi ſint Actus indifferentes.

Actus humanus ſpectari poteſt vel *in ſpecie*, id eſt, ratione ſolius objecti, & ſemotis fine ac circumſtantiis; vel in *individuo*, & prout ſingularis eſt, habita nempe ratione & objecti, & finis, & circumſtantiarum. Apud omnes certum eſt dari actus humanos *in ſpecie* indiffe-

ren-

rentes, id eſt, qui neque boni neque mali ſint, ſi generatim duntaxat & ratione ſolius objecti conſiderentur. Tales ſunt *ambulatio*, *locutio*, &c. ſed controvertitur utrum admittendus ſit actus quidam humanus *in individuo* indifferens, id eſt, qui ratione objecti, finis & circumſtantiarum ſimul ſpectatus, nulla bonitate nullaque pravitate morali afficiatur.

PROPOSITIO.

Nullus eſt actus humanus in individuo indifferens.

Probatur 1. OMnis actus humanus vel rectæ rationi conſentaneus eſt, vel non: ſi prius, bonus eſt, utpote congruens regulæ, cui conformari debet, ut ſit bonus; ſi poſterius, malus eſt, ſiquidem tenetur homo ſuos omnes actus deliberatos ad rectæ rationis normam componere; ergo omnis actus humanus bonus eſt vel malus, ac proinde nullus eſt indifferens.

Probatur 2. Actio quælibet humana in individuo ſpectata fit propter aliquem finem ultimum: atqui hujuſmodi actio non poteſt eſſe indifferens. Ad illud enim requireretur, ut finis ultimus ad quem ſpectat agens, neque bonus eſſet neque malus: atqui id abſurdum eſt: nam duplex tantum aſſignari poteſt finis ultimus actionis humanæ, ſcilicet Deus aut creatura; inter utrumque nihil medii datur: atqui ſi voluntas operantis actionem referat ad Deum, tanquam finem ultimum, bonus legitimuſque eſt finis; malus vero erit, ſi voluntas in aliqua re creata, tanquam in fine ultimo, conquieſcat. Nam *ſtare in creatura ſine peccato eſſe non poteſt*, ut clamat ratio, & docet S. Thomas, (*Supplem. Q.* 49. *art.* 5. *ad* 1.); ergo, ſicut finis ultimus quem ſibi proponit agens, vel bonus eſt vel malus, idem de quolibet actu humano ſentiendum eſt, ideoque nullus eſſe poteſt indifferens.

Pro-

Probatur 3. Si quis actus in individuo eſſet indifferens, maxime verbum otioſum, quod nempe citra ullam neceſſitatem & utilitatem profertur: atqui ne verbum quidem otioſum dici poteſt indifferens, cum de eo rationem ſummo judici ſimus reddituri. *Dico autem vobis*, ait Chriſtus, *quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. (*Matth*. 12. 36.) Ergo, &c.

Objicies: Poteſt aliquis in horto deambulare delectationis gratia: atqui actio illa eſt prorſus indifferens; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Si enim delectatio propter quam deambulamus, referatur ad Deum, tanquam finem ultimum, tunc bona eſt; mala vero, ſi non referatur. Hinc Theodoretus explicans hæc Apoſtoli verba, *Omnia in gloriam Dei facite*, ipſam deambulationem inter ea recenſet, quæ ad Dei gloriam referenda ſunt: *Pulchre*, inquit, *omnia comprehendit* (*Apoſtolus*) *& ſedere & ſtare, & ambulare ... ut unus ſit omnium ſcopus Dei gloria*.

Inſt. Nulla eſt ſpecies ſine individuo: atqui deambulatio in ſpecie eſt indifferens; ergo & in individuo.

Reſp. Diſt. maj. Nulla eſt ſpecies ſine individuo, ſed individuo plura conveniunt, quam ſpeciei, conc. nec plura conveniunt individuo quam ſpeciei, neg.

Porro plura complectitur individuum, quam ſpecies. Sic animal univerſim ſumptum, nec rationabile eſt, nec irrationabile; alterutrum vero ſit neceſſe eſt, ſi in individuo ſpectetur. Pariter, quamvis actus in ſpecie & generatim acceptus, neque bonus ſit, neque malus, non ita ſe habet actus in individuo: non poteſt enim eſſe ſine aliquo fine ultimo, ratione cujus vel bonus eſt vel malus.

CA-

CAPUT III.

Unde repetenda ſit Actuum humanorum bonitas vel malitia moralis.

TRia ſunt in actibus humanis, quorum habenda eſt ratio ſpecialis, nempe *objectum*, *finis* & *circumſtantiæ*. Objectum eſt illud quod fit, v. g. erogatio eleemoſinæ. Finis actionis eſt id cujus gratia aliquid geritur, ut Dei gloria, propter quam homo tenetur agere. Circumſtantiæ ſunt adjuncta quæ actionem humanam comitantur. Certum eſt apud omnes actionem non eſſe bonam, niſi ad ultimum finem legitimum referatur, quem non alium eſſe demonſtravimus, quam Deum; ſed quæritur an, præter finem, quidquam aliud ſit neceſſarium.

PROPOSITIO.

Actuum humanorum bonitas & malitia, non ſolum a fine ultimo, ſed etiam ab objecto & circumſtantiis repetenda eſt.

Prob. 1. EX eo non parum pendet actuum pars: humanorum bonitas vel malitia moralis, per quod virtutes & vitia quædam, ac proinde eorum actus, a ſe invicem ſpecie diſtinguuntur: atqui virtutes & vitia quædam, ideoque eorum actus, a ſe invicem ſpecie diſcriminantur propter objectum circa quod verſantur. Sic virtutes theologicæ, nempe fides, ſpes & caritas, a moralibus, qualis eſt temperantia, ſpecie diſcrepant, quia theologicæ Deum ipſum habent pro objecto proximo, non autem morales. Sic etiam homicidium & adulterium ſpecie differunt, quia diverſa ſunt utriuſque objecta. Cur homicidio gravius eſt parricidium, niſi quia aliud eſt homicidii, & aliud parricidii objectum. Ad æſtimandam igitur actuum huma-

manorum bonitatem, vel malitiam, habenda eſt ratio objecti circa quod verſantur.

Prob. 2. pars: Aliquid bonitatis aut malitiæ in actus humanos a circumſtantiis redundat, ſi dentur actus alii aliis pejores aut meliores, licet eumdem finem, idemque objectum habeant: atqui id certum eſt. Actio, v. g. illius qui nummum in templo furatur, pejor eſt, quam ſi extra templum fieret; idem tamen eſt finis, idemque objectum; utrobique enim intenditur boni alieni poſſeſſio; furtum igitur illud in templo factum, nonniſi propter circumſtantiam loci ſacri, crimen gravius evadit. Actio pauperis, alteri pauperi eleemoſinam erogantis, ceteris æqualibus, melior eſt quam actio divitis pari eleemoſina egenum ſublevantis: atqui in ea hypotheſi melior eſſe non poteſt, niſi propter circumſtantias tum paupertatis, tum animi ad largiendum propenſioris; ergo quidpiam bonitatis aut malitiæ actibus humanis conferunt circumſtantiæ.

SCHOLIUM.

Annotandum eſt inter bonitatem & malitiam moralem id eſſe diſcriminis, quod ad bonitatem alicujus actionis neceſſe ſit, ut tria hæc, objectum bonum, finis laudabilis & legitimæ circumſtantiæ in actum ſimul coeant, ita ut ſi vel unum defuerit, actio non poſſit eſſe moraliter bona, quia ex recepto axiomate, *bonum ex integra cauſa*. Ad pravitatem vero actionis ſufficit, ut unum ex his tribus, nempe objecto, fine & circumſtantiis, ſit malum, quia ex altero axiomate, *malum ex minimo defectu*. Hinc S. Thomas, *quilibet ſingularis defectus*, inquit, *cauſat malum; bonum autem cauſatur ex integra cauſa*. (1. 2. *q.* 18. *art.* 4. *ad* 3.)

Ex eo quod actus bonus eſſe non poſſit, niſi in eum veluti confluant finis legitimus, objectum honeſtum, circumſtantiæ licitæ, colligendum eſt

eſt falſum eſſe illud adagium quod axiomatis inſtar a multis habetur: *quidquid agant homines, intentio judicat omnes*. Hoc enim ſi admittatur nullum erit flagitium quod intentionis veluti flexu non excuſetur. Inſontes eſſent Judæi qui dum Chriſtum & Apoſtolos morte plectendos eſſe decernebant, obſequium præſtare ſe Deo arbitrabantur.

ETHI-

ETHICA SPECIALIS.

ETHICA ſpecialis de variis ſeorſim hominum officiis diſſerit. Cum vero triplici ſub reſpectu poſſit homo conſiderari, nempe ratione tum ſui ipſius, tum ceterorum hominum, tum Dei ſui conditoris, hinc triplex exurgit officiorum genus. Quam diviſionem, ut magis obviam, retinebimus.

DISSERTATIO PRIMA.

De hominis erga ſeipſum officiis.

CUm homo conſtet anima & corpore ſimul conjunctis, duplicis ordinis ſunt ſua erga ſeipſum officia. Alia ſcilicet ad animam, & alia ad corpus ſpectant. De utriuſque ſeorſim agendum.

CAPUT PRIMUM.

De officiis hominis ad ipſius animam ſpectantibus.

IN eo generatim conſiſtunt hominis erga mentem ſuam officia, ut ipſius facultates perficere, ad finemque proprium dirigere ſtudeat. Cum autem duæ ſint animæ facultates, nempe intellectus & voluntas, ad utriuſque curam revocantur hominis erga mentem ſuam officia.

AR-

Articulus I.

De officiis quæ ad intellectum ſpectant.

Cum ad eum finem deſtinatus ſit intellectus, ut verum agnoſcat, mens veris circa res ad officium ſuum pertinentes ſententiis imbuenda eſt, & cognitionibus homine digniſſimis exornanda. Quædam autem ſunt quorum cognitio ad omnes homines pertinet, qualia ſunt Religionis & morum principia, quibus prælucentibus, vitam in terris honeſte pieque agere, ſaluteraque in altera vita conſequi poſſimus: quamvis cupiditatum æſtu ad pravas actiones abripiantur homines, attamen cum mentis ſuæ compotes fiunt ſibique redduntur, vera ſanaque principia rurſus eorum mentibus ſublucent. Unde fit ut importunis conſcientiæ ſtimulis exagitentur, ad melioremque frugem redeundi conſilium efficax ineant; id autem vix unquam ab iis præſtari ſolet, quorum in animos non jacta ſunt ſalubrium præceptorum veluti ſemina.

Sunt etiam quædam cognitiones certis conditionibus & vitæ inſtitutis accommodatæ. Debet autem quiſque iis addiſcendis præſertim operam dare, quæ ad ſuam artem, ſuumve munus recte obeundum neceſſaria ſunt. Ad eas tamen diſciplinas animum adjungere licet, quæ non ſunt primæ utilitatis. Habent enim ſcientiæ omnes magna virtutis adjumenta, vel eo ſolo quod iis aſſuetus animus viliores & homini prorſus indecoras voluptates contemnere ſoleat. At ſummopere cavendum, ne in res obſcuras, difficiles minimeque neceſſarias ſtudium plus æquo conferamus. Quinimo rerum etiam pulcherrimarum ſtudiis a gerendis ſuis negotiis nos abduci recta ratio improbat. *Plus ſcire velle, quam ſatis eſt*, inquit Seneca, *intemperantia eſt*. Præterea anguſtiores ſunt mentis hu-

manæ limites, quam ut omnia poſſimus animo complecti. Qui pluribus igitur diverſiſque ſtudet, nonniſi quamdam, ut ita dicam, ſcientiæ ſuperficiem comparabit; ſed tanto minor erit cognitionum ſoliditas, quanto latior & diffuſior ſuperficies. Sæpe etiam evenit, ut varia & multiplex diverſarum ſcientiarum inquiſitio, nedum ingenii vires augeat, & ſagacitatem acuat, illud contra deterat ac hebetet.

Cum pravæ opiniones animum non minus corrumpant, quam vitioſus ſanguis habitum corporis, maxime enitendum eſt ut menti nullæ inſideant præjudicatæ opiniones. Quod vitium qui voluerit effugere, eas ſequetur regulas quas in Logica expoſuimus, ubi de judiciorum erroribus & remediis.

Nequicquam autem ad ſcientiam ingenio, labore, induſtria nitimur, niſi totius operis ducem adhibeamus Deum; inſtrumenta ſunt illa quidem & ſubſidia doctrinæ: ſed quemadmodum terra, quamvis diligenter ſubacta & exculta, nihil tamen fructus dabit, niſi prætereà rore cœleſti perfundatur; ſic ad ingenii bonitatem laboriſque pertinaciam niſi accedat obſecundantis Numinis favor, nihil aut certe parum in litteris proficiemus. Fruſtra ſcilicet homo plantat, fruſtra irrigat, niſi det incrementum Deus: Ipſius igitur opem cum Propheta ſic implorare quiſque debet: *Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* (*Pſal.* 118. 66.)

ARTICULUS II.

De officiis quæ ad voluntatem ſpectant.

1. Cum voluntatis proprium ſit bonum appetere & malum averſari; curandum nobis maxime eſt, ut appetitus noſter, nec aliud quam bonum ſincerum proſequatur, nec aliud quam verum malum refugiat. Nihil proinde nobis eſſe debet antiquius, quam ut mendacibus bonorum apparentium illecebris non deludamur.

2. Im-

2. Immutabilis quidam eſt ordo quem in rebus diligendis ſervare debemus. Ille autem ordo ex objecti dignitate & excellentia repetendus eſt, ita ut perfectiora & meliora majorem ſibi vindicent dilectionem, quam minus perfecta & minus bona. Dictat enim recta ratio eumdem rebus deberi in noſtra dilectione locum, quem habent in juſta noſtra exiſtimatione. Unde colliges Deum ſuper omnia eſſe diligendum, cum ſit ſummum bonum, quo nihil perfectius, nihil excellentius poteſt excogitari; & animam magis eſſe amandam, quam corpus, quia corpore melior eſt ac præſtantior.

3. Ex voluntatis affectibus, alii ſunt ex natura ſua pravi & inordinati, qui totidem ſunt animi ægritudines, ut ambitio, avaritia, voluptatum amor: in iis reprimendis & coercendis plurimum diligentiæ adhibendum eſt; alii vero ſunt affectus & appetitus ex natura ſua boni, quos intra legitimos fines continere debemus, & rationis imperio ſubjicere, ut eos ad propriam deſtinationem flectat. Bonum eſt, v. g. felicitatis deſiderium, ſed legitimum ad finem dirigatur neceſſe eſt, nempe ad Deum, in quo ſolo ſita eſt ſumma noſtra felicitas; bonum eſt etiam cognoſcendæ veritatis ſtudium, modo tamen *altiora te non quæſieris*, & *fortiora te non ſcrutatus fueris*. (*Eccli.* 3. 22.)

4. Si teneamur omnes affectus ex natura ſua pravos & inordinatos omnino reprimere, fugienda ſunt igitur quæcumque illos aut fovere aut excitare poſſunt.

Unde colliges 1. maxime cavendum eſſe a libris amatoriis, &, ut ajunt, *Romanenſibus*. Ex eorum lectione quantum immineat periculi, inde patet, quod toti ſint in deſcribendis profanis amoribus, in referendis colloquiis & litterulis ad libidinem compoſitis, in commemorandis factis ad eum finem excogitatis, ut voluptatis ſenſum provocent. Quam vero triſte incendium, in teneris præſertim adoleſcentium

ani-

animis, excitent impuri illi ignes ex hujuſmodi libellis erumpentes, infauſta nimium teſtatur experientia. Idcirco variis in Conciliis ab Eccleſia fidelibus vetitum eſt, ne libros qui obſcœnas continent narrationes, aut legant aut apud ſe retineant.

Colliges 2. ex choreis & ſaltationibus, quales fieri ſolent, abſtinendum eſſe. In iis quippe vehemens occurrit libidinis incitamentum; ibi enim viri & mulieres oculos tenent in ſe invicem defixos; ibi puellæ leporibus undequaque accerſitis ſtudent placere; ibi uterque ſexus vultu, geſtu, nutu omnibuſque illecebris mutuam aucupari ſolent benevolentiam; ibi denique cantus laſcivi, vel molles inſtrumentorum numeri, aures ſuaviter demulcent, & animos ad libidinem inflammant.

Colliges 3. fugiendos eſſe ludos ſcenicos, gallice *les ſpectacles*. Quid enim exhibere ſolent, niſi vel inſanos amores, vel impotentem vindictæ furorem, vel immoderatam ſuperbiam, vel effrenem humanæ gloriæ cupidinem, vel atrocem in æmulum invidiam, vel conjugia nefariis artibus quæſita? Ea ſunt vitia quæ in theatris laudantur, vel excuſantur; quæ iis coloribus adornantur, qui eorum fœditatem obtegant, eaque totidem in virtutes transforment; ipſorum denique imagines muſicis cantibus, voce, geſtu, totoque corporis habitu ad vivum exprimuntur, ſenſuſque omnes acerrime commovent.

Qui hæc omnia efficaciſſima eſſe cupiditatum & vitiorum irritamenta negaverit, is profecto hominem neſcit. Quantum hujuſmodi ſpectaculis permotus olim fuerit, ſic ingenue confitetur Auguſtinus: *Rapiebant me ſpectacula theatrica plena imaginibus miſeriarum mearum & fomitibus ignis mei.* (*Lib.* 2. *confeſſ. cap.* 2.) Nonne profanis amoribus ad quos natura profani ſumus, ardebit qui eos laudibus extolli, & tandem felicem exitum habere videt? Nonne, ut inflammatam libidinem expleat, iis utetur

arti-

artibus quas e theatris didicerit? *Diſcit & facere, dum conſueſcit videre*, ait S. Cyprianus. (*Lib. de ſpectac.*) Quantam moribus perniciem inferant ludi ſcenici, non ſemel confeſſi ſunt ipſimet ſcriptores gentiles. Ovidius, quem infortunia meliorem ad ſenſum revocaverant, Auguſtum monuerat non eſſe refrenandæ morum licentiæ præſentius remedium, quam theatrorum everſionem:

Ut tamen hoc fatear, ludi quoque ſemina præbent
Nequitiæ: tolli tota theatra jube,
Peccati cauſam quæ multis ſæpe dederunt.
(TRIST. Lib. 2.).

Nihil eſt tam damnoſum bonis moribus, inquit Seneca, *quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt. Quid me exiſtimas dicere? Avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior ..... quia inter homines fui. Nemo noſtrum ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium poteſt*. (*Ep. 7.*) Quiſquis igitur voluerit pravos voluntatis affectus cohibere, is ludos ſcenicos prudens refugiat & abhorreat.

CAPUT II.

De officiis hominis ad corpus ſuum ſpectantibus.

CUm Deus animam corpori ea lege conjunxerit, ut ipſius bono & ſaluti conſuleret, debet homo, quantum honeſte fieri poteſt, curare, ut ſua corpori vita, ſua integritas, ſuaque valetudo conſtet; debet ipſius vires cibo, potu & ſomno reficere. Qua tamen in re, non quid voluptas ſuggerat, ſed quid neceſſitas requirat, attendendum. Si enim cibis & potui plus æquo indulgeatur, inde contingere ſolet, ut corpus adverſus rectorem ſuum animum efferatur inſolentius, ipſiuſque imperium detrectet; nec molliter igitur curandum corpus,

nec

nec labore nimio frangendum, ſed moderata exercitatione roborandum. Nulla enim eſt peſtis mollitie & deſidia fœdior. Corpus enim ſimul & animam corrumpit, hominemque & ſibi & aliis inutilem efficit. Ex ea pullulare omne vitiorum genus, luctuoſa comprobat experientia.

Corporeis ſenſibus quædam, ut Scripturæ verbis utar, *cuſtodia ponenda eſt*. Quæ enim per oculos & aures ſubeunt ſpecies, eæ ſæpius in imaginationis ſede veſtigia imprimunt, pravis animi affectibus excitandis maxime accommodata. Debent præſertim juvenes ab iis rebus præcavere, quæ periculoſas in ſenſibus commotiones, & ſubinde vividiores in animo affectus excitare ſolent. Cum enim in ipſis magis ardeſcat cupiditas, ferveat imaginandi vis, & ſanguis vehementius ebulliat, ex viſis & auditis repente inflammantur & ad medullas uſque penetrat morbus aliquando inſanabilis. Unde ſapienter ſic monet Juvenalis ſatyra 14.

Nil dictu fœdum viſuque hæc limina tangat
Intra quæ puer eſt.

Hic proponi ſolent duæ quæſtiones graviſſimæ. 1. Utrum licite poſſit aliquis ſeipſum interficere, ſaltem quando tot malis confligatur, ut ipſi vivere miſerum magis videatur, quam mori. 2. An liceat ad propriæ vitæ conſervationem, injuſtum aggreſſorem occidere, vel ſingulari certamine cum aliquo congredi.

QUÆSTIO I.

An ſuicidium aliquando ſit licitum.

SApientem poſſe morte voluntaria hujus vitæ ærumnis & doloribus ſeſe ſubducere olim contendebant Stoici. Inſanam hanc opinionem noſtris hiſce temporibus defenderunt nonnulli ſophiſtæ, quibus non ſatis fuiſſet omnem morum regulam ſubvertere, niſi in aliorum

ſuam

ſuamque vitam tandem aliquando conjuraſſent.

PROPOSITIO I.

Suicidium propria voluntate commiſſum, actus eſt rebellionis erga Deum.

Prob. Ille eſt erga Deum rebellis, qui leges Dei aperte contemnit, & ipſius jura ſibi arrogat: atqui duplici hoc vitio laborat, qui ſeipſum propria voluntate occidit. 1. Quidem leges Dei aperte contemnit. Ea quippe eſt lex omnium pectoribus a Deo inſita, ut quiſque corporis ſui conſervationi provideat, & quæ ipſi nocent naturæ inſtinctu averſetur: ea vero naturæ lex iterum in Decalogo his verbis promulgata eſt: *non occides*: qua lege tam noſtra, quam proximi vetita eſt occiſio, quia non plus juris homo in ſuam, quam in proximi vitam habet: atqui legem hanc ſpernit, aut ſaltem arbitraria interpretatione irritam facit, quiſquis ſeipſum interficit; ergo 1. &c.

2. Jura Dei ſibi arrogat: Deus enim ſolus eſt ſupremus vitæ & necis arbiter: *Ego occidam & ego vivere faciam*; (*Deut.* 32. 39.) *Tu es, Domine, qui mortis & vitæ habes poteſtatem*. (*Sap.* 16. 13.) Vita igitur noſtra quoddam eſt depoſitum, quod ſolus repetere poteſt, qui ſolus dedit. Militia eſt vita humana; quemadmodum ergo non poteſt miles ſtationem ſibi commiſſam relinquere ſine juſſu Imperatoris; ita, & multo minus, non poteſt homo ab iſta mortali vita diſcedere præter Dei voluntatem, qui ſummus eſt omnium Imperatorum Dominus. *Piis omnibus*, ait Tullius, *retinendus eſt animus in cuſtodia corporis, nec injuſſu ejus, a quo ille nobis datus eſt, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum a Deo defugiſſe videamur*. (*In ſomnio Scipionis*) Ergo 2. &c. ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Qui ſeipſum voluntarie occidit, reus eſt in ſocietatem & crudelis in ſeipſum.

Prob. 1. pars: Ille reus in ſocietatem cenſeri debet, qui ipſi eripuit membrum utile; qui ſpem omnem & facultatem abjicit boni cujuſcumque hominibus conferendi: atqui ita ſe habet qui cruentas ſibi infert manus. Numquid objiciet ſe in eo ſtatu verſari, in quo nullum ſocietati bonum conferre poſſit? Sed 1. qua ratione certus eſt ſtatum illum diuturnum fore & conſtantem? 2. Nonne poteſt aliis utilem ſeſe præſtare, patientiæ & fortitudinis exemplum præbendo. 3. Si prodeſſe nequeat, ſaltem nocere non debet: jam vero ſui interfector ſocietati plurimum nocet. Ceteros enim, quantum in ſe eſt, hortatur, ut fortem rebus in adverſis conſtantiam ſpernant; quod profecto ſocietati maxime eſt exitioſum: ſi enim poſſit quiſque vitam abjicere, ut ab importunis doloribus ſeſe liberet, cur non poterit ad effugiendum aliquod incommodum abdicare & principatum & magiſtratum & exercitus imperium? Cur non poterit paterfamilias, ut propriæ tranquillitati conſulat, uxorem & liberos deſerere, & ſeſe in ſolitudinem recipere? ergo 1. in ſocietatem reus eſt, qui ſeipſum interimit.

Prob. 2. pars: Ille in ſeipſum crudelis eſt, qui ſub fugiendi mali præſentis obtentu, in apertum ſummæ infelicitatis diſcrimen ſeſe conjicit: atqui in horrendum illud periculum incurrit, qui vitam ſibi eripit. Præſentia quidem mala declinat; at incertus eſt melioremne, an longe deteriorem conditionem ſit experturus. Imo potius, ſi providentiam divinam agnoſcat, cujus ordinatione omnia in mundo contingunt, certus eſt injuſtum ſe ad ſupremi judicis tribunal intrudere, ac proinde male ab eo accipiendum

dum eſſe, & pœnis graviſſimis afficiendum. Suppliciis acerbiſſimis obnoxios eſſe in inferis, qui vitam temere projiciunt, veteribus etiam paganis perſuaſum fuit, ut patet ex iis Virgilii verſibus:

Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Projecere animas. Quam vellent æthere in alto,
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!

Ergo 2. In ſeipſum crudelis eſt, qui vitam ſibi eripit.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Illud licitum eſt quod fortis eſt animi: atqui ſeipſum occidere, fortis eſt animi: ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Qui ſeipſum interimit, non fortitudinem, ſed animi abjectionem demonſtrat. Cur enim ita ſe gerit, niſi quia vel tædium vitæ, vel infortunia, morbos, egeſtatem, aut alia hujus vitæ mala tolerare non poteſt? qua in re ignaviam ſapiens quiſque deprehendet, non fortitudinem, quæ in ærumnis conſtanter perferendis ſita eſt. Hinc præclare Martialis:

Rebus in adverſis facile eſt contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Qui ut ſuicidium fortitudinis laude commendent, quorumdam Romanorum allegant exempla, ſic compellat Rouſſeau Genevenſis: *Tu veux t' autoriſer par des exemples: tu m' oſes nommer des Romains. Regarde les beaux jours de la République, & vois ſi tu y trouveras un ſeul citoyens vertueux, ſe délivrer ainſi du poids de ſes devoirs, même aprés les plus cruelles infortunes. Regulus retournant à Charthage, prévient-il par ſa mort les tourmens qui l' attendoient? ..... Le Sénat même n' admire-t-il pas le Conſul Varron, pour avoir pu ſurvivre à ſa dé-*

défaite ? Par quelles raiſons tant de Généraux ſe laiſſent-ils volontairement livrer aux ennemis, eux à qui l'ignominie étoit cruelle, & à qui il en coûtoit ſi peu de mourir ? c'eſt qu'ils devoient à leur patrie, leur ſang, leur vie, & leur dernier ſoupir, & que la honte ni les revers ne le pouvoient détourner de ce devoir ſacré.

Objic. 2. Eam licet vitam abjicere, quæ nobis malum eſt, & nemini bonum: atqui contingit aliquando, ut vita nobis malum ſit, & nemini bonum; ergo tunc licet eam abjicere.

Reſp. 1. Neg. maj. utpote verbis generalioribus conceptam. Hæc enim præterea conditio eſt adjungenda, ut ſcilicet non culpa noſtra, v. g. immoderatis cupiditatibus, vita nobis malum evaſerit. Refrenandas enim eſſe cupiditates, non vitam abjiciendam eſſe jubet lex naturalis.

Reſp. 2. Neg. min. Nunquam enim contingere poteſt, aliquem ita eſſe ab omni ſocietatis vinculo ſolutum, ut nulla ipſi ſuperſint officia erga ceteros homines implenda. Nonne parentes, liberos, propinquos, amicos, habet, quorum in gratiam vitam ſervare debeat? Nonne tenetur univerſæ ſocietati exemplum præbere patientiæ & fortitudinis, ex quo plurima in Rempublicam derivabitur utilitas? cum enim homines naſcantur ſocietatis membra, tenentur bonum publicum, quantum in ſe eſt, promovere. Hinc ita proſequitur præfatus ſcriptor: *Mais je ne tiens à rien, je ſuis inutile au monde. Philoſophe d'un jour, ignores-tu que tu ne ſaurois faire un pas ſur la terre, ſans y trouver quelque devoir à remplir? ......, chaque fois que tu es tenté de ſortir de la vie, dis en toi-même: que je faſſe une bonne action auparavant de mourir; puis vas chercher quelque indigent à ſecourir, quelque infortuné à conſoler ..... ſi cette conſidération te retient aujourd'hui, elle te retiendra demain, après demain, toute ta vie.*

De-

Denique etiamſi nullis erga ſocietatem officiis eſſet obnoxius, nonne teneretur parere Deo prohibenti, ne vitam, quam ab eo accepit, temere, eoque inconſulto, deſerat?

Inſtab. Supponamus hominem graviſſimis cruciatum doloribus, & qui nullum ſocietati bonum conferre poſſit: atqui hujuſmodi hominis vita, ſic ipſi malum eſt, ut nemini ſit bonum; eam igitur poteſt, tanquam onus intolerabile, deponere.

Reſp. Neg. min. Quod enim a Creatore homini eo conſilio impoſitum eſt, ut ſuam aſſequatur deſtinationem, illud malum cenſeri non debet: atqui vita, etiam graviſſimis doloribus conflictata, homini a Creatore eo conſilio, &c. neque enim exiſtimandum eſt hominem in hanc vitam tot miſeriis obnoxiam temere projectum fuiſſe. Aut neges exiſtere Deum, aut agnoſcas nihil in hoc mundo contingere, quod non fuerit divina ordinatione conſtitutum; ergo vita quibuſcumque ærumnis exagitata, nunquam ut malum habenda eſt.

Objic. 2. Vitam nobis conceſſit Deus tanquam beneficium; ergo nobis ſuccenſere non debet, ſi beneficium illud reſtituamus, quando nobis moleſtum eſt.

Reſp. 1. Diſt. ant. Vita eſt beneficium ſimul & depoſitum, conc. vita merum eſt beneficium, nego.

Itaque vita beneficium eſt, ſimul & depoſitum a Deo nobis concreditum, ut illud ſedulo tueamur & ſervemus, donec ab eo repoſcatur, a quo nobis fuit commiſſum. Si enim vita merum eſſet beneficium & munus, ea pro ſuo nutu & arbitrio uti poſſent homines, nec vitæ ſuæ rationem cuiquam deberent, nec proinde a Deo pendere cenſerentur: atqui illud omnino repugnat; ergo vita merum non eſt donum, ſed etiam depoſitum, quod retinere debent homines, donec illud Deus repetat.

Reſp. 2. Neg. conſeq. Merito quippe nobis

ſuccenſere poteſt Deus, quando conceſſum nobis vitæ beneficium injuſſi abjicimus, propter mala quæ nobis ingruunt, quid enim id aliud eſt, quam ejus Providentiam incuſare, ejuſque benignitati & juſtitiæ diffidere? namque ſi de benignitate, de juſtitia, providentiaque divina non dubitaremus, mala quæ nobis accidunt haberentur, vel tanquam propriorum ſcelerum pœnæ, vel tanquam meriti comparandi inſtrumenta, vel tanquam totidem occaſiones patientiam, noſtramque in Deum fiduciam exercendi & excitandi.

Objic. 4. Mors aliquando unicum ſupereſt malis noſtris remedium; ergo tunc ad eam licet confugere: vetitum quippe non eſt malis noſtris finem imponere.

Reſp. 1. Neg. ant. Tum quia in præſenti vita nihil eſt omnino deſperatum: perpetuæ ſunt enim in rebus humanis viciſſitudines; tum quia alteram fore vitam, in qua ſua erit virtuti merces & crimini pœna, demonſtravimus. Cum autem vitam ſibi proprio arbitratu auferre, & inconſulto, qui eam nobis conceſſit, Deo, grande ſit nefas, quanta ſupplicia eos manent, qui tantam ſuo Creatori injuriam referunt! nedum igitur mors ſit malorum remedium & finis, contra initium eſt pœnæ longe gravioris, in altera vita ſubeundæ.

Reſp. 2. Neg. conſeq. Quamvis enim mors unicum foret malorum quæ patimur remedium, ad illud tamen proprio nutu confugere non liceret. Expectandum enim eſt donec Providentia divina, quæ certo conſilio ea mala permittit, aliquod præſenti noſtræ conditioni levamen & ſolatium, eo quo ſibi libuerit modo, afferat. Et vero pudeat adverſarios eam proponere rationem, qua ſemel admiſſa, inſanus ſuicidii furor longe lateque graſſaretur. Quam multi enim ſibi mortem conſciſcerent, rati ſe iis in anguſtiis verſari, in quibus nullum, præter mortem, remedium ipſis ſupereſſet!

In-

Inſtab. Membrum amputare licet, ut corporis totius ſaluti conſulatur; ergo multo magis poteſt aliquis vitam abjicere, ut felicitatem ſuam in tuto collocet.

Reſp. Neg. conſeq. & parit. Ideo enim licitum eſt membrum graviter vitiatum reſecare, quia totum corpus aliter ſervari non poteſt: contra vero probare nequeunt adverſarii, vitam aliquando retineri non poſſe, abſque evidenti felicitatis noſtræ detrimento: in quocumque enim ſtatu collocati, & quibuſcumque doloribus conflictati ſimus, ſemper adeſt felicitatem noſtram obtinendi via, nempe ſincerum erga voluntatem divinam obſequium; quod ſane recuſat, qui injuſſus ex hac mortali vita diſcedit.

Neque, dicant adverſarii, juxta doctrinam quam defendimus, in ſanandis quos Deus immittit morbis, nihil curæ adhibendum eſſe. Patienter quidem ferendi ſunt; ſed nihilominus præcepto naturali obtemperandum eſt, quo jubemur proprii corporis ſaluti providere.

Objic. 5. Licet pro patria, pro Religione vitam aperto diſcrimini objicere: atqui illud perinde eſt ac mortem ſibi ultro inferre; ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Quia tunc certum eſt velle Deum, ut vitam abjiciamus, conc. neque illud certum eſt, neg.

Revera licitum eſt pro patria, pro Religione fortiter occumbere; quia certum eſt ita velle Deum. Illud vero nefas eſſet, niſi conſtaret id approbari a Deo, & multo magis ſi ab ipſo prohiberetur. Porro ubi Religionis aut patriæ ſumma utilitas poſtulat, ut aperto vitæ diſcrimini nos objiciamus, tunc eo ipſo compertum eſt velle Deum, ut mortem ſtrenue adeamus. Cum enim Religionis & patriæ conſervatio bonum ſit longe præſtantius, quam vita hominis privati, recta ratio præcipit, ut quiſquis Religionis & ſocietatis incolumnitati vitam ſuam poſt-

habeat. In præſenti autem quæſtione agitur de homine, qui citra ullam aut Religionis aut patriæ utilitatem ſeipſum interficit, imo cum gravi utriuſque detrimento; quod ſane vetat Deus nedum approbet.

Objic. 6. cum auctore nefandi operis cui titulus *Syſtême de la nature*: Si attendas, inquit, ad pactum quo ſocietati devinctus eſt homo, facile deprehendes quamlibet conventionem eſſe conditionalem & reciprocam, ſive exigere, ut mutua ſit utriuſque contrahentis utilitas. Civis cum ſocietate & patria non alio, quam felicitatis, vinculo colligari poteſt; quo ſemel diſſoluto, prorſus liber evadit.

Reſp. 1. Hujuſmodi pactum meram eſſe fabulam; ex neutra enim parte voluntarium eſſet. Numquid penes hominem fuit extra ſocietatem, vel in hac, potius quam in illa naſci? Non poteſt ipſa ſocietas hunc vel illum hominem pro ſuo arbitrio vel admittere, vel rejicere. Ex jure naturali eorum omnium mater eſt, qui in ipſius gremio naſcuntur; horum conſervationi providere debet; citra injuſtitiam nequit quempiam civem vitæ ſocialis commodis fraudare, niſi pœnam hanc aliqua culpa ſibi accerſivit. Quo pacto igitur civi licebit e ſocietate, cum ſibi libuerit, ſeſe excludere?

2. Eſto exiſtat fictitium illud pactum conditionale, quis judex jure pronuntiabit, an utrinque impletæ fuerint conditiones? an privatus ipſe? ſed hujuſmodi auctoritas omnem ſubverteret ordinem: ſocietas enim cujuslibet privati libidini ſubjiceretur, qui illam erga ſe injuſtam eſſe pro ſuo arbitrio judicabit. An ipſa ſocietas? at ſuicidium vetat, quod proinde committi non poteſt.

3. Si non alio quam præſentis felicitatis vinculo civis quiſquis ſocietati devinciatur, ipſi nihil debebimus, niſi quantum nobis profuerit; privatum commodum ſemper communi bono licebit anteponere. Ubi, omnibus perpenſis, depre-

prehendam non poſſe me ab aliquo crimine abſtinere, quin damnum quoddam patiar, tunc crimen illud perpetrandi jus mihi erit. Quis ſanus principium non horreat, unde fluit abſurdum illud conſectarium?

Objic. 7. cum auctore libri qui inſcribitur: *Lettres Perſanes*. Numquid providentiæ ordinem violaverim, ſi materiæ modificationes immutem: & globum ex rotundo quadratum faciam? quando e corpore mens mea ſoluta fuerit, nihil detrimenti inde capiet orbis univerſi ordo & diſpoſitio; ubi corpus meum aliam induerit formam, non minus ſublimis erit anima. (*Lettre* 74.).

Reſp. Hujuſmodi argumento probabitur, eum qui proximo vitam eripit, non magis peccare, quam qui globo novam dat formam. Ibi non agitur de orbis univerſi ordine phyſico, ſed morali. Neutrum offendis, materiæ formas immutando, quia eas Deus tuæ voluntati ſubjecit; tuam vero & aliorum vitam tuo non permiſit arbitrio. Adverſus eam nihil juris habet ipſa ſocietas, niſi id poſtulet ipſius conſervatio. Quam futilia eſſent argumenta quæ in ſuicidii gratiam adhibuerat, deinde agnovit præfatus Auctor; in opere enim poſteriori confitetur contra legem naturalem & Religionem revelatam peccare, qui ſeipſum interimit. (*Eſprit des Loix*, *Liv.* 14. *chap.* 12. *note*.)

Obj. 8. Multi in Scripturis ſacris laudantur, qui mortem proprio nutu ſibi intulerunt: ſic Samſon, concuſſis fortiter templi columnis, ipſarum ruina cum Philiſtinis obrutus eſt; ſic Eleazar ſeſe elephanti ſuppoſuit, cujus mole oppreſſus eſt; ſic etiam ſancta Apollonia in flammas, quibus conſumpta eſt, ſeſe conjecit; ergo licet ſeipſum interficere.

Reſp. Neg. ant. Ii enim non propria tantum auctoritate mortem ſibi conſcivere, ſed inſpirante Deo, qui ſupremus eſt vitæ noſtræ Dominus. *Nec Samſon excuſatur*, inquit Auguſtinus,

quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quod latenter Spiritus ſanctus hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat. (*Lib.* 1. *de Civit. Dei, cap.* 21. *tom.* 7. *pag.* 21.) Idem faciendum de his Chriſti ſponſis quæ propter grave fidei vel caſtitatis periculum in ignem præcipites ſeſe dederunt. *Hoc fecerunt*, ait S. Auguſtinus, *non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ; non errantes, ſed obedientes.* (*Ibid. pag.* 24.) Eleazarus vero mortem ſibi directe non intulit; ſperare enim potuit ſe prius receſſurum, quam caderet elephantus, vel illud animal in dextram aut ſiniſtram partem caſurum.

SECTIO II.

An liceat ad propriæ vitæ conſervationem injuſtum aggreſſorem occidere, vel ſingulari certamine cum aliquo congredi.

Circa graviſſimam hanc quæſtionem, duæ ſunt ſententiæ.

PRIMA SENTENTIA.

Quidam negant licere, etiam pro vita defendenda, injuſtum aggreſſorem occidere. Cujus in ſententiæ gratiam allegant 1. plurima Scripturarum oracula & præſertim iſta: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* (1. *Joan.* 3. 16.) --- *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſeris in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* (*Matth.* 5. 39.) Quod Chriſti præceptum & ceteras chriſtianæ patientiæ leges, ſaltem in animi præparatione remittendas eſſe docent SS. Patres. *Sunt ergo iſta præcepta ſapientiæ*, inquit Auguſtinus, *ſemper in cordis præparatione retinenda; ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in volun-*

ta-

tate complenda eſt. (Epiſt. 5.) Hic præcipit S. Doctor quid intus & in animo ſit agendum. Quid autem extra fieri debeat, ſic docet ibidem: *In manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe, quibus bene velle debemus.* Numquid autem interior illa benevolentia & patientia, cum injuſti aggreſſoris cæde poteſt conſiſtere? numquid cuiquam utile eſt interfici, præſertim in ipſo ſcelere? numquid cuiquam prodeſt ad infernum certo detrudi?

2. Patrum auctoritatem ſibi vindicant: *Occidere innocentibus*, inquit S. Cyprianus, *nec nocentem liceat.* (*Epiſt.* 57.) *Chriſtianis occidere non licet injuſtos vitæ ipſorum ereptores*, (*Epiſt.* 56.) ---- S. Ambroſius: *Non videtur quod vir chriſtianus & juſtus, & ſapiens, quærere ſibi vitam aliena morte poſſit aut debeat.* (*Lib.* 3. *de Officiis*, *cap.* 4.) S. Auguſtinus legem quidem non reprehendit, quæ latrones & alios invaſores violentos occidere permittit; ſed inculpatos non habet eos qui interficiunt: *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non invenio.* *Lib.* 1. *de lib. arbitr. cap.* 5. *n.* 12.) S. Bernardus: *Eſt qui nec ulſciſcendi zelo, nec vindicandi typho, ſed tantum evadendi remedio, interficit hominem; ſed ne hanc quidem dixerim bonam victoriam, cum de duobus malis, in corpore quam in anima mori levius ſit .... & occiſor lethaliter peccat, & occiſus æternaliter perit.* (*Tract.* 1. *de nova Militia.*)

3. Varias adhibent rationes, & maxime iſtam ex iis S. Auguſtini verbis deſumptam. *Temporalem plane vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere.* (*Lib.* 1. *de Mendacio*, *cap.* 6.) Ergo cum injuſtus aggreſſor, ſi occidatur, æternum damnandus ſit, per propriæ vitæ jacturam ejus ſaluti conſulendum eſt.

Secunda Sententia.

Affirmant plurimi licitum eſſe, ad propriam vitam defendendam, injuſtum aggreſſorem occidere. Ita docet S. Thomas (2. 2. *Q.* 64. *art.* 7.), modo id fiat *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, & præter interficientis intentionem. Variis nituntur rationibus qui opinionem hanc defendunt. Prima deſumitur ab ipſo jure naturali omnium animis inſito, quod unicuique ſuadet, ut propriæ conſervationi invigilet; ſecunda repetitur ex legibus humanis quæ injuſtæ viderentur, niſi per eas liceret latrones alioſque invaſores violentos occidere; tertia ducitur ab utilitate communi quæ poſtulat, ut civis probi & innocentis vita non poſthabeatur hominis facinoroſi conſervationi.

Illæ vero rationes prioris ſententiæ defenſoribus non ſatis firmæ videntur. Ad primam reſpondent ſuadere quidem jus naturale ut noſtræ conſervationi provideamus; ſed tamen ita ut non violetur lex divina, quæ ſic jubet: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*; vita igitur temporalis nihil facienda eſt, quando de noſtra vel aliorum ſalute agitur: qui vero latronem vel quemſibet aggreſſorem violentum interficit, eum, utpote in affectu peccati mortalis conſtitutum, æternæ damnationi devovet.

Ad ſecundam reſpondent legibus civilibus vetitum non eſſe adverſus injuſtum aggreſſorem ſeſe defendere, eaſque homicidii in iis rerum anguſtiis commiſſi veniam facile concedere: ſed, juxta legem divinam, extra culpam non eſſe qui, etiam in legitimæ defenſionis caſu, interficiunt.

Ad tertiam reponunt ſe non vitam temporalem, ſed æternam ſalutem hominis ſcelerati anteponere vitæ temporali viri probi & innocentis, qui perfectæ caritatis actum exercendo, ſalutem ſuam in tuto collocat. Leges enim civiles,

les, inquiunt, præſentem tantum ſocietatis ordinem conſiderant; Religio vero Chriſtiana ad alium rerum ordinem aſſurgit, & in omnibus non tam præſentia, quam futura æternaque bona aut mala intuetur.

Inde ſequeretur, ajunt poſterioris ſententiæ patroni, nullum eſſe bellum legitimum: nullum quippe eſt, etiam juſta de cauſa ſuſceptum, quod æternæ plurimorum damnationi occaſionem non præbeat.

Reſpondent alii Principem aut eos, quorum eſt in aliqua ſocietate, de pace vel bello ſtatuere, non poſſe hoſtium ſaluti etiam æternæ poſthabere jura nationis aut Reipublicæ cujus ipſis commiſſum eſt regimen. Princeps enim eſt Reipublicæ veluti procurator, in quo proinde deſideratur ſumma fides, ſummaque diligentia: hæc vero in eo potiſſimum conſiſtit, ut nequeat procurator de bono quod ſibi creditum eſt, pro ſuo arbitrio decernere; contra vero privatus, qui vitam ſuam temporalem æternæ injuſti aggreſſoris ſaluti poſtponit, de bono quod ſuum eſt, potius quam aliorum, ſtatuit.

COROLLARIA.

Ex dictis colligere eſt 1. dubium ſaltem an liceat injuſtum aggreſſorem occidere. Cum autem *ab omni ſpecie mala*, ex Apoſtolo, *ſit abſtinendum*, & in dubiis pars tutior eligenda, in praxi ſtandum eſt ſententiæ quæ negat violentum invaſorem poſſe citra culpam interfici, quamvis altera ſit magis recepta.

2. Cum certum minime ſit, licite poſſe interimi injuſtum aggreſſorem pro vita tuenda, colligendum eſt multo minus licitum eſſe, propter commodi alicujus temporalis, ſcilicet vel fortunæ vel honoris fictitii conſervationem, cuiquam mortem inferre, & idcirco deteſtanda eſſe ſingularia *ex condicto* certamina, gallice *duels*, quæ ex auctoritate privata ſuſcipiuntur. Quod ut magis pateat, ſit

PRO-

PROPOSITIO.

Illicita ſunt ſingularia certamina quæ duella vocitantur.

Probatur, Quia ſingularia hæc certamina ſunt 1. contra legem divinam quæ homicidium prohibet; 2. contra Dei auctoritatem ad quem pertinet vindicta, *mihi vindicta, ergo retribuam, dicit Dominus*; (*Rom.* 12. 19.) divina proinde jura uſurpant qui privato certamine congrediuntur; 3. contra omnem pietatis & Religionis ſenſum: qui enim ad ſingulare certamen provocat, aut provocatus ad illud ſeſe accingit, propter inanem quamdam honoris umbram, is, & ſuam & alterius ſalutem in apertum diſcrimen adducit; alteruter quippe, & fortaſſis uterque, ſupremum Judicem aditurus eſt imparatus. 4. Fiunt contra Regum noſtrorum edicta, præcipue Ludovici Magni qui anno 1643. ſancivit, ut qui duello confligerent, tanquam læſæ majeſtatis, tum divinæ, tum humanæ rei haberentur, & christiana ſepultura carerent; 5. contra plurima Eccleſiæ decreta, quæ conſtitutis in tranſgreſſores pœnis graviſſimis, duellum prohibuerunt. Illud Tridentina Synodus vocat, *deteſtabilem uſum, fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur.* (*Seſſ.* 25. *cap.* 19. *de Reformat.*) 6. Contra rectam rationem quæ clamat non deferendam eſſe vitam, nec alteri eripiendam, ne umbratilis offenſa remaneat inulta. 7. Tandem contra commune patriæ bonum, cui per hujuſmodi certamina rapiuntur plurimi nobiles viri, quorum opera in bello & pace uteretur: „ Non tantum enim pre„ tioſi ſanguinis, ait clariſſimus Rollin, longa „ bella exhauriunt, quantum, ſæviente duello„ rum licentia, cruenta pax abſumit. Neque e„ nim graſſatur, ut plurimum, hæc delicata infa-

„ famæ gloriæ cupiditas per abjecta & vilia capi-
„ ta; ſed inſidet in optimo quoque & generoſiſ-
„ ſimo, ipſuſque nobilitatis florem depopulatur,
„ hoc eſt, præcipuam ſpem poſteritatis, & cer-
„ tiſſimum Imperii columen evertit. „ (*Opuſ-
cul. tom. 2. pag. 111.*)

COROLLARIUM.

Graviter ergo peccant Principes, vel militum duces, qui morem illum fovent a barbaris ſæculis deductum, ita ut ſcilicet infamis habeatur, qui accepta levi quadam injuria, illius autorem ad condictum certamen non provocaverit; vel qui ab altero, qui ſe læſum putat, provocatus, duellum recuſaverit. Gravius etiam peccant qui ſimilem ob caſum exigunt, ut vel duello ad mortem uſque certetur, vel militia deferatur.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Ubi deficiunt teſtes, non poſſumus ab auctoritate publica injuriarum ultionem repetere; ergo tunc ſaltem licitum eſt duellum privata auctoritate ſuſceptum.

Reſp. Neg. conſeq. Tum quia dictat ratio naturalis nemini licere in propria cauſa ſeſe judicem conſtituere: ita enim comparati ſunt homines, ut injurias ſibi illatas, longe graviores exiſtiment, quam revera ſint, & quod jus ſuum putant, ultra modum proſequi ſoleant; tum quia vindictam privatam generatim ſic prohibet Deus: *mihi vindicta, ego retribuam*; tum, quia patienter ferendæ ſunt injuriæ, cum eas ulciſci poſſumus, quin violentur leges divinæ & humanæ, quin apertum adeatur vitæ & ſalutis æternæ periculum.

Inſt. Tam licet hominem occidere pro retinendo honore, quam pro vita defendenda: atqui licet hominem occidere pro vita defendenda;

da; ergo & pro retinendo honore qui læſus fuit.

Reſp. 1. Neg. maj. Qui enim contendunt, urgente vitæ periculo, licitum eſſe injuſtum aggreſſorem occidere, jus naturale, & leges poſitivas in legitimæ defenſionis gratiam invocant: contra vero nulla unquam lege privatis licitum fuit, ob illatam injuriam aliquem interficere. Idcirco, ſi Caſuiſtarum, qui duellis patrocinantur, argumenta perpendas, eos nonniſi inſana hominum exiſtimatione & opinione niti deprehendes.

Reſp. 2. Neg. min. Ex his enim quæ ſupra diximus compertum eſt, ſententiam quæ affirmat licitum eſſe pro vita ſervanda injuſtum aggreſſorem interficere, graviſſimis impugnari rationibus; ergo dubia ſaltem & incerta eſt; ridiculum proinde eſt opinionem valde incertam, & in falſum propenſiorem, quam in verum, adhibere, ad conſtantiſſimum chriſtianæ diſciplinæ caput evertendum.

Inſt. Honor eſt aliquid vita melius; ergo etiamſi non liceret pro vita defendenda alium hominem occidere, id tamen licitum eſt, ubi agitur de honore ſervando.

Reſp. Diſt. ant. Verus honor eſt aliquid vita melius, conc., honor fictitius, neg.

Itaque verus honor a vano quodam honoris ſimulacro accurate ſecernendus eſt, ne in tanti momenti re conſuetudinis & opinionis veluti torrente abrepti, a veritatis tramite deflectamus. Verus honor virtute fundatur, illiuſque eſt indivulſus comes. Honor autem fucatus ab hominum judicio pendet. Verus honor in nobis eſt; honor vero fictitius in aliorum exiſtimatione conſiſtit, quæ profecto certa non eſt judicandi vel agendi regula.

Fateor equidem verum ſolidumque honorem eſſe vita meliorem; ſatius quippe eſt mori, quam aliquo crimine fœdari, ſanctaſque Dei leges infringere. Abſurde vero prorſus diceretur honorem fictitium vita ipſa eſſe potiorem:

præ-

præſertim ſi honor ille non tantum vitæ periculo ſervandus ſit, ſed etiam legum divinarum & humanarum contemptu. Porro hujuſmodi eſt honor, qui ad ſingularia, de quibus agitur, certamina rapit. Nonniſi in inſania quorumdam hominum opinione poſitus eſt; non quærendus igitur, non curandus; ſed negligendus & contemnendus. Injurias enim ſanguine vindicare & eluere, turpe, inhumanum, barbarum eſt, nedum ſit decorum & honeſtum. *Nec vero audiendi*, inquit Tullius, *qui graviter iraſcendum inimicis putant, idque magni & fortis viri eſſe cenſent: nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.* (*Lib.* 1. *de Officiis*, *cap.* 25.)

Obj. 2. Nemo tenetur famæ jacturam pati: ſed qui provocatus ad duellum, illud recuſaret, juxta hominum exiſtimationem, famæ jacturam pateretur; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. E duobus enim malis minimum eligendum eſt: atqui longe ſatius eſt in opprobrium incurrere, & hominibus eſſe deſpectui, quam famam ulla ratione defendere, quæ a divinis humaniſque legibus prohibeatur. In eo quippe caſu ſtandum eſt huic Scripturæ oraculo: *Neſcitis, quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei? quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* (*Jacob.* 4. 4.)

Et vero hic teſtes appello, non ferreos illos homines, quibus immanis ludus eſt, & ſe, & alios periculo mortis objicere: ſed eos quos fatalis quædam neceſſitas ad cruentum & ſingulare certamen adigit. Si quacumque tandem alia ratione ſervari poſſe bona hominum exiſtimarent: quam libenter viam illam arriperent! quantis conſcientiæ ſtimulis, quantis cruciatibus internis ſeſe liberarent! At vero, inquiunt, duræ neceſſitati obtemperandum eſt, quam imponit ſtultæ opinionis imperioſa lex; ergo, inquiemus, ſatius vobis videtur, multitudinis, licet veſtro

judicio injuſtæ, laudem captare, quam veſtræ conſcientiæ, quam bonorum omnium, quam Dei ipſius approbationem mereri; ergo virtutem & Religionem ipſam, opinioni quæ, vobis judicibus, inſana eſt, mactandam eſſe decernitis? quid autem horribilius, quid homine chriſtiano indignius fingi poteſt?

DISSERTATIO II.

De hominis erga ceteros homines officiis.

OFficia quibus erga ceteros homines obſtringimur, vel communi humanitatis titulo nituntur, vel ſuam a ſocietate ducunt originem: Hinc duplex erit hujus diſſertationis caput.

CAPUT PRIMUM.

De hominis erga ceteros homines officiis, communi humanitatis titulo ſubnixis.

PRincipium generale: *Alios homines quiſque ſicut ſeipſum diligere tenetur*: ratio eſt, quod omnes, quatenus homines, ſint æquales: omnium enim eadem eſt natura; omnes ſimilibus pollent facultatibus; omnes ab uno eodemque Deo conditi ſunt; omnes ab uno eodemque parente ſuam ducunt originem, omnes pari ratione in lucem editi, adoleſcunt, conſeneſcunt, intereuntque ſimiliter; omnes denique ad eumdem finem deſtinantur.

Iis omnibus accedit hoc Chriſti præceptum: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* (*Matth.* 22. 39.) *Proximi autem nomine*, ait S. Leo, *non ii tantum intelligendi ſunt, qui nobis amicitia, aut propinquitate junguntur; ſed omnes prorſus homines, cum quibus nobis natura communis eſt.* (*Serm. XI. de Jejun. X. menſis, cap.* 2.)

CO-

COROLLARIA.

Hinc colliges 1. diligendos eſſe inimicos: lege enim naturali tenemur omnes homines diligere: atqui lex naturalis prorſus immutabilis eſt, nec proinde eam abrogare poteſt inimicitiæ ratio. Naturale hoc præceptum ſic confirmat Chriſtus: *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* (*Matth.* 5. 44.)

Colliges 2. nulli damnum eſſe inferendum. Alios enim homines ſicut noſmetipſos diligere debemus: atqui ita ſe ſuaque amat unuſquiſque, ut ſibi damnum afferri nolit; erga ceteros igitur homines eodem modo comparatus eſſe debet. Abſtinendum eſt proinde ab homicidiis, latrociniis, furtis, rapinis, calumniis, &c. ſi quis ergo vel per ſe, vel aliorum miniſterio nocuerit alteri in bonis, ſive corporis, ſive animi, ſive fortunæ, ſive famæ, tenetur ille, quantum in ſe fuerit, damnum reſarcire. Fruſtra quippe clamat naturæ lex, nemini afferendum eſſe detrimentum, ſi impune violari poſſit. *Detrahere aliquid alteri*, inquit Tullius, *& hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor.*

Si multi actionis damniferæ fuerint participes, tenetur eorum quiſque reſtituere pro ratione damni quod intulit; imo totum damnum ab eo reſarciendum eſt, ſi ſuam alii partem non reſtituant. Cujus officii rationem hanc affert Collator Pariſienſis: *La raiſon eſt que la complicité du crime, ou la part que chacun a dans la faute, l'en rendant coupable, elle le rend par conſéquent reſponſable du tout. On peut ajouter que l'action de tous ces voleurs étant comme une ſeule action morale, chacun eſt cenſé avoir fait lui-même tout le dommage qu'ils ont cauſé de concert, & tous aſſemble. C'eſt la dé-*

ci-

ciſion du Droit canonique & du Droit civil. (*Tom.* 2. *pag.* 304. *édit. ann.* 1755.)

Colliges 3. Proximo indigenti pro modulo noſtro, ſubveniendum eſſe. Amor enim otioſus & nihil agens, nullus merito reputatur. Subſidia autem proximo debita, alia ſunt *ſpiritualia*, alia *corporea*. Prioris generis iſta ſunt: Ignorantes erudire, errantes corrigere, dubitantibus conſilium dare, mœſtos conſolari; Deum pro ſalute proximi orare. Poſterioris autem generis ſeptem numerantur, ſcilicet eſurientes paſcere, ſitientibus potum dare, nudos veſtire, captivos redimere, peregrinos hoſpitio excipere, ægrotos inviſere, mortuos ſepelire. Ita proximo indigenti ſuccurrendum eſſe clamat primaria hæc naturæ lex: *Alteri faciendum eſt, quod nobis factum merito velimus:* atqui nullus eſt, qui aliorum beneficiis ſublevari juſte non velit, cum iis opus habet.

Hominibus qui prædictis officiis proximum fraudaverint, terribilis hæc ſententia, teſte Chriſto, denuntiabitur, *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum .... eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non cooperuiſtis me; infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me*. *Matth.* 25. *v.* 41. & *ſeq.*)

Obſervandum eſt autem in beneficiis proximo conferendis quemdam ſervandum eſſe ordinem. Extraneis enim anteferendi ſunt qui ſanguine, amicitia vel religione nobis ſunt conjunctiores. Regulam hanc ita ſtatuit S. Auguſtinus: *Cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui ... conſtrictius tibi junguntur*. (*Lib.* 1. *de Doctr. Chriſt. cap.* 28. *tom.* 3. *pag.* 14.) Quæ regula nititur ipſa natura, quæ ad illud conſtanter inclinat, ut magis quam extraneos, eos diligamus & ope noſtra juvemus, qui vel conſanguinitatis vel amicitiæ vel religionis vinculo nobis ſunt colligati. Si tamen extraneus gra-

graviori neceſſitate laboraret, anteferendus eſſet propinquo longe minus indigenti: *Nam vera in hoc eſt caritas*, inquit S. Bernardus, *ut qui indigent amplius, accipiant prius*. (Tom. I. pag. 1440. n. 6.)

CAPUT II.

De hominum officiis ad ſocietatem ſpectantibus.

SOcietas eſt plurimorum hominum conjunctio ad eumdem finem, conſociatis viribus aſſequendum. Agemus 1. de officiis in ordine ad ſocietatem univerſim ſumptam; 2. de officiis quæ pertinent ad ſpeciales ſocietatis formas & ſpecies.

ARTICULUS PRIMUS.

De officiis in ordine ad ſocietatem univerſim ſpectatam.

1. COntra nonnullos Philoſophos demonſtrabimus homines ad ſocietatem factos eſſe, & divinitus deſtinatos. Deinde per modum corollarii exponemus quæ exinde derivantur officia.

Th. Hobbes fatetur quidem homines alios aliis indigere, maxime ſenes, pueros, ægrotos; ſed negat eos ad ſocietatem a natura comparatos eſſe. Quinimo contendit homines eſſe ſibi invicem naturaliter infenſos. Voluntas lædendi inquit, omnibus ineſt in ſtatu naturæ, qui ſcilicet ſocietatum inſtitutionem præceſſit. Ideo contendit naturalem hominum conditionem eſſe ſtatum belli omnium contra omnes, in quo ſinguli ad illud perpetuo intenti ſint, ut alios ſeu vi, ſeu fraude, ſeu quovis alio modo præoccupent.

Rouſſeau Genevenſis non ita ferocem & bel-

bellicoſum hominem e Creatoris manibus prodire aſſerit, ſed mitem & benignum, omniumque virtutum ſeminibus a natura inſtructum eſſe; ipſum autem ſocietate depravari, in vitiaque pronum fieri contendit. Unde concludit hominem, nedum fuerit ad ſocietatem qua corrumpitur, a natura conſtitutus, ab ea e contrario deſtinatum eſſe, ut belluarum inſtar in ſylvis, in agris, in cavernis vitam ageret ſegregem, in quibus ab omni labe ſeſe putum ſervaret.

Utroque illo ſiſtemate quantum deprimatur naturæ humanæ dignitas facile eſt intelligere; alterum homines belluis pejores fingit; alterum parem homini brutiſque animantibus conditionem attribuit. Adverſus eos ſit

PROPOSITIO.

Homo natus eſt ad ſocietatem cum aliis hominibus ineundam.

Probatur: AD illud homo natus eſt, quod poſtulant ipſius conditio, facultates & propenſiones: atqui ut homo cum aliis hominibus ſocietatem ineat, poſtulant, &c. & 1. quidem ejus conditio. Varias enim hominis ætates perluſtra, & eum nunquam ſibi ſufficere, ſed aliorum ope ſemper indigere comperies. Si eum in puerili ætate inſpicias, qua ratione tenellulos infans vitam ſervare poſſet, niſi ſedula parentum cura ipſum foveret, tegeret, aleretque. Alioqui nudus, humi jacens, aeris inclementiæ expoſitus, vel cito inedia conſumeretur, vel belluarum ferocium præda factus, vix in lucem editus periret miſerabiliter.

Sed fingamus eum adoleſcentiam aſſequi: niſi tunc parentum aliorumve hominum conſiliis erudiatur, & auxiliis adjuvetur, quid erit aliud, quam ferox quoddam animal, diverſas animi & corporis facultates ignorans? Deinde viri-

virilem ætatem attingat, tunc occurret generatio proliſque educatio, & communis liberorum cura, quæ patrem inter & matrem vitæ conſortium, ac proinde ſocietatem exigit. Denique ubi conſenuerit, eadem, quæ in infantia, recurret corporis imbecillitas, eadem infirmitas; tunc igitur ſublata hominum ſocietate, humi procumbens, variis morbis miſeriiſque confectus, nullis remediis ſublevatus, nullis cibis recreatus, duriſſima fame extinguetur; ergo 1. poſtulat hominis conditio, ut cum aliis hominibus ſocietatem ineat.

2. Id etiam requirunt hominis facultates; multis enim præditus eſt copulandæ ſocietati aptiſſimis, & quæ, ea ſublata, ſunt prorſus inutiles. Quid v. g. ad ſocietatis uſum eſſe poteſt accommodatius, quam facultas varios animi ſenſus, voce, vultu, geſtibus, aliiſque ſignis externis exprimendi? quid autem inutilius, ſi omnem ſocietatem ſuſtuleris? ineſt homini facultas documenta recipiendi, quibus perficiatur; ineſt ingenium quod, poſita ſocietate, artium ſcientiarumque eſt capax. Tolle ſocietatem, & otioſe prorſus erunt egregiæ illæ animi dotes, incultæque omnino marceſcent; ergo 2. hominem ad ſocietatem natura eſſe deſtinatum, probant quibus exornatur facultates.

3. Idem demonſtrant propenſiones omnibus ingenitæ. Sic nemo eſt qui congreſſus hominum fugiat & oderit; nemo eſt qui non amet in amicorum ſinu ſuos dolores exonerare; nemo eſt qui propriam lætitiam in aliorum veluti gremium effundere non geſtiat; nemo fere qui in ſolitudine vitam agere velit prorſus ſegregem; omnibus inſita eſt bonam apud alios famam comparandi cupiditas, cujus tanta vis eſt, ut homines ad ſuſcipiendas res, vel maxime arduas, impellat; omnibus inditi ſunt quidam beneficentiæ & commiſerationis ſenſus, quibus fit ut humani nihil a nobis alienum putemus; ut cujuslibet miſeriis commoveamur; ut cuili-

bet

bet periclitanti vel patienti, opem & ſolatium, quantum in nobis eſt, naturæ impulſu præbeamus: atqui omnes illæ propenſiones ad conſociandos, ſecumque invicem colligendos homines conſpirant; ergo 3. &c. aliunde, &c. ergo homo natus eſt ad ſocietatem cum aliis hominibus ineundam.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Ad illud minime natus eſt homo, quod juri naturali adverſatur: atqui ſocietas; &c. ergo. &c.

Reſp. Neg. min. Ad eum quippe finem inſtituta eſt ſocietas, ut facilius & tutius obſervaretur jus naturale. Quamvis enim hominibus a natura inſita ſint ſocialitatis principia, luctuoſa tamen experientia conſtat eos variis cupiditatibus eſſe obnoxios, quæ juri naturali & bono publico eſſent plurimum nocituræ, ſi ipſis habenæ permitterentur: atqui eo potiſſimum conſilio inſtituta eſt ſocietas, ut cupiditates certis legibus, quodam veluti freno, coerceret.

Inſtab. Ex ſocietate naſcitur conditionum inæqualitas: atqui juri naturali adverſatur conditionum inæqualitas; ergo & ſocietas.

Reſp. Neg. min. Quod enim, ſuadente ratione, ex liberaque hominum conventione fuit inſtitutum, id juri naturali non opponitur; atqui ita ſe habet conditionum inæqualitas. Cum ſcilicet deprehendiſſent homines, neceſſarium eſſe ut alter regeretur ab altero, partem ſuæ libertatis ceſſerunt, quo tutius alteram retinerent. Ut enim cujuſque jura ſerventur illæſa, omniumque ſaluti proſpiciatur, coercendæ ſunt cupiditates; violentiaque omnis comprimenda; quod fieri non poterat, niſi unius, vel multorum imperio ſeſe homines ſubjicerent. Hinc conditionum inæqualitas, quæ non minus legitima eſt, quam ipſæ ex quibus derivatur conventiones; ergo eam cum jure naturali pugnare perperam objicitur.

In-

Inſtab. Homines jure naturali ſunt æquales; ergo conditionum inæqualitas juri naturali adverſatur.

Reſp. Diſt. ant. Homines jure naturali ſunt æquales, eo ſenſu quod eamdem habeant naturam, originem, & deſtinationem, conc. eo ſenſu quod contra hominis naturam ſit, ut alter ab altero pendeat, neg.

Itaque eo quidem ſenſu omnes homines ſunt jure naturali æquales, quod communem habeant naturam, originem & deſtinationem. Omnes enim acceperunt mentem intelligentia & voluntate præditam; omnes eumdem auctorem agnoſcunt; omnes ad eamdem felicitatem deſtinati ſunt. Unde fit ut genus humanum ſit veluti ingens familia, per totum orbem diffuſa, cujus omnia membra ejuſdem naturæ cognatione, quaſi fraternitatis vinculo, colligantur.

Nequaquam vero dici poteſt omnes homines jure naturali æquales eſſe, eo ſenſu quod ipſorum natura non ferat, ut alter alteri ſubjiciatur. Sunt enim apud homines legitimæ quædam cauſæ, propter quas alter ab altero pendeat. 1. Ipſa naſcendi conditio parentibus liberos ſubmittit, idque omni tempore & loco natura docuit. 2. Potuerunt homines, vigente adhuc primæva libertate, eam regiminis formam inſtituere, quam omnium utilitati magis conſentaneam judicaverint: atqui nulla potuit admitti regiminis forma, quin conſtituerentur aut Principes aut magiſtratus, legum vindices, quibus ceteri parere tenerentur; homines igitur non ſunt jure naturali æquales, eo ſenſu quod ipſorum natura non permittat, ut alter ab altero pendeat.

Inſtab. alio modo: Ex ſocietate contigit, ut quidam fierent tyranni, & quidem ſervituti manciparentur; ut alii ſint opulenti, & alii omnium egeni; ergo injuſta eſt ſocietas, ac proinde juri naturali adverſatur.

Reſp. Diſt. ant. Illud contigit ex ſocietatis

 abu-

abuſu, conc. ex ipſa natura ſocietatis, neg.

Itaque a juſtitia & ratione alienum eſt, in aliquam inſtitutionem ea incommoda refundere, quæ ex ſola hominum pravitate contigerunt. Si enim valeat hujuſmodi criminatio, optimum quoque culpandum erit. Nullum quippe eſt bonum quod homines vel in ſuam, vel in aliorum perniciem non verterint.

Jam vero contra ſocietatis naturam, accidit, ut quidem ſua abutentes auctoritate, alios ſervitutis jugo ſubderent. Si enim primam ſocietatis originem repetamus, facile erit deprehendere, ſupremam auctoritatem Regibus & Principibus ea tantum conditione fuiſſe creditam, ut populos non ſuo nutu & arbitrio, ſed æquis legibus gubernarent. Veritatem hanc boni Principes quibuſcumque temporibus, & imprimis Galliæ noſtræ Reges, agnoverunt.

Pariter ſi contigit ut quidam divitiis affluerent, quidam vero dura paupertate premerentur, abuſus eſt qui ſocialem conſtitutionem deformat, non autem vitium ipſius naturæ illigatum. Præterea cum cives plurimi ſua culpa, nempe inertia, in egeſtatem ſeſe conjecerint, injuſtum prorſus eſſet, illud incommodum ſocietati imputare; ergo ſi qui abuſus in ſocietatem irrepſerint, non ipſa accuſanda eſt; ſed culpandi ſunt homines, qui rebus optimis abutuntur.

Objic. 2. Homo natus eſt ad felicitatem: atqui ſocietas adverſatur felicitati; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Illud enim felicitati minime nocet, quod legibus ſapientiſſimis agendi rationem civium ad bonum commune dirigit, omneſque impellit ad implenda ſua erga Deum, ſeipſos, ceteroſque homines officia: atqui id efficit ſocietas, non vero æqualitatis ſtatus, in quo pro ſuo quiſquis arbitrio vitam inſtitueret.

Enim vero ſi veteres recentiores hiſtorias relegamus, compertum erit multos populos formam quidem regiminis commutaſſe, v. g. modo Monarchiam Reipublicæ, modo Rempublicam Monar-

narchiæ prætuliſſe; nullum vero invenias, qui omnem prorſus ſocietatem abjecerit; perſuaſum igitur habuerunt hanc vel illam quidem regiminis formam, communi felicitati non eſſe accommodatam, non vero ſocietatem in ſe conſideratam.

Inſtab. Illud felicitati adverſatur quod cupiditatibus præbet originem: atqui ſocietates, &c. ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Cupiditates enim ſuam in ipſo pectore humano ſedem habent & originem; nobiſcum naſcuntur & adoleſcunt. Qua rerum conditione ſemel poſita, homines hunc ſtatum elegerunt, non ubi tollerentur cupiditates, quod prorſus erat impoſſibile; ſed ubi compreſſæ, minus communi felicitati obſtarent. Jam vero manifeſtum eſt ſtatum ſocialem in quo vigent leges, & pœnæ adverſus tranſgreſſores ſunt conſtitutæ, reprimendis cupiditatibus aptiorem eſſe, ac proinde communi felicitati magis idoneum, quam ſtatum naturalem, in quo pariter exiſtunt cupiditates, nulloque freno continentur; ergo ſocietas cupiditates coercet, nedum ipſis originem præbeat.

Inſtab. Illud humanæ felicitati nocet, quod pejorem efficit hominis conditionem: atqui ſocietas civilis pejorem, &c. certiſſimis enim conſtat experimentis 1. corpus humanum in ſtatu ſolitudinis robuſtius eſſe ac valentius; 2. ex ſocietatis commercio, tanquam ex peſtifero fonte, infinitos propemodum morbos ſcaturire. Inde fit ut homines, feri ſylvarum incolæ, conſtanti valitudine fruantur, quia vitam agunt naturæ viciniorem; ergo, &c.

Reſp. 1. Diſt. maj. Quod pejorem efficit ex natura ſua hominis conditionem, conc. maj. ex hominum abuſu, neg. maj. diſt. par. min.

Itaque ſi interdum ſocietas civilis deteriorem efficiat hominis conditionem, malum eſt ab ipſius natura prorſus alienum, hominumque pravitati tribuendum. Homines enim ea mente ſo-

cietatis civilis fœdus inierunt, ut conjunctis viribus, mutuæ felicitati efficacius allaborarent; aut potius eo conſilio divina Providentia ad ſocietatem nos deſtinavit. Cum autem optima quæque pravis hominum affectibus corrumpi ſoleant, deinceps accidit ut homines ſecum invicem colligati, non tantum vitæ neceſſaria, ſed ea etiam quæ vividiorem voluptatis ſenſum provocant, ſtudioſius inquirerent. Hinc artes explendis cupiditatibus accommodatæ majori pretio habitæ ſunt, quam eæ quæ ad uſus neceſſarios pertinerent. Inde emolliti animi; inde enervatæ corporis mentiſque facultates; inde luxuriæ peſtis, tot morbos, tot calamitates in genus humanum invexit. Ne tamen inde concludas ſocietatem civilem ex natura ſua humanæ felicitati nocere: extiterunt enim, & hodiernis etiam temporibus exiſtunt civitates bene moratæ, e quibus exulant, quos deploramus ſocietatis abuſus.

Reſp. 2. Vitam ſolitariam cujus commoda tantopere venditant adverſarii, incommodis longe gravioribus obnoxium eſſe, a quibus homines liberat ſocietas civilis. Eſto enim homines feri qui vitam ſegregem in ſylvis agunt, robuſtiores ſint, a plurimiſque morbis immunes: at certe, ipſo Genevenſi cive teſte, neque ingenium ſuum diſciplinis liberalibus excolunt, neque facultates morales evolvunt. Nullam, ſi eidem fides adjungatur, diſtinctam habent veri & falſi, juſti & injuſti notionem; nullum creatori cultum exhibent; in præſentibus toti, nec præterita recordantur, nec futura prævident; denique in toto vitæ decurſu brutis animantibus haud abſimiles videntur. Quis vero ſocietatis incommodis ita moveatur, ut turpiſſimam hanc conditionem invideat.

Objic. 3. Si homines ad ſocietatem nati ſunt, quiſquis in ſolitudinem abit, contra intentionem Providentiæ peccat: atqui illud abſurdum eſt, totque excellentibus & religioſis viris inju-

juriosum, qui, ut Deum poſſiderent, urbes ſuoſque deſeruerunt; ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Contra intentionem Providentiæ peccat, quiſquis in ſolitudinem abit ſine peculiari Dei impulſu, conc. ſecus, neg.

Revera contra Providentiæ intentionem peccat qui, niſi Deus ſpecialiter eum ad illud moveat, omnem prorſus ſocietatem fugit. In apertum enim vitæ diſcrimen, quando conſenuerit, ſeſe conjiceret. Hinc illud Scripturæ oraculum: *Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe*. (*Eccl*.4. 10.) Non ideo tamen reprehendendi ſunt illi homines pietate inſignes, qui totos ſeſe in antris & ſylvis abdidere, ut pœnitentiam agerent, excuſſoque temporalium negotiorum onere, Deo ſervirent liberiùs. Aſperum enim illud vitæ genus nonniſi inſpirante Deo, ſuſcepiſſe judicandi ſunt.

Ceterum plurimum diſcriminis eſt, inter homines qui ſeſe ab omni prorſus ſocietate ſegregant, & eos qui a tumultuoſis duntaxat cœtibus recedunt, ut ſaluti ſuæ conſulant. Manifeſtum eſt illos contra Providentiæ intentionem non agere, qui vitæ purioris deſiderio ducti, periculoſos hominum cœtus fugiunt, quales ſunt ii qui cœnobiticam vitam amplectuntur. Ipſi non ſunt plane ſocietatis exſortes; ſiquidem communibus officiorum, documentorum, & exemplorum vinculis inter ſe junguntur.

COROLLARIUM I.

Debet civis quiſque patriæ legibus obtemperare: cum enim firmiſſimum ſit cujuslibet ſocietatis munimentum, iis ſublatis, hæc corruat neceſſe eſt. Graviſſimi igitur criminis rei ſunt, qui patrias leges infringere non dubitant. Quantum enim in ſe eſt, ſocietatem deſtruunt. Quid autem id aliud eſt, quam in Deum ipſum rebellare, qui ſocietatis eſt auctor, cum ad eam homines deſtinaverit?

COROLLARIUM II.

Vitam pro patria effundere, ubi opus eſt, debemus. Quiſquis enim ſocietatis alicujus membrum fit, huic ſeipſum ſuaque omnia tradit; ad promovendam communem utilitatem, quocumque poterit modo, ſeſe obſtringit. Noſtra proinde vita proprium fit patriæ bonum. Ubi igitur ad depellendam ipſius perniciem, vel gravem aliquam calamitatem, neceſſe erit ut civis in manifeſtum vitæ periculum incurrat, repetendi hujus ſacrificii jus habet patria. Quod ſi abnuat civis, graviter in patriam peccat, & turpiſſimum ſibi dedecus inurit. Quid enim indignius & abjectius eſt, quam paucos vitæ ignobilis dies anteferre, & officio ſuo, & ſocietatis, cujus omnia debemus, utilitati?

Contra vero quam magno fortique animo dignum, quam dulce eſt, & officio ſuo, & patriæ bono ſeſe devovere! Omnem mortis horrorem diſcutit iſta cogitatio: *meo ſanguini ſalutem ſuam cives debituri ſunt. Apud eos æternum vivent nobilior mei pars, meæque virtutes. Patriæ, etiam poſt mortem ſum profuturus, clariſſimum meæ in eam caritatis exemplum civibus relinquendo*. Qua cogitatione armati, plurimi tum Græci, tum Romani, pro civium ſalute ad certam mortem convolarunt.

Quorſum ad extranea confugere exempla, dum nobis domeſtica ſuppetunt? Ex ultimis quæ Gallia noſtra ſubminiſtrat, unum duntaxat ſeligimus: Caletum (*Calais*) ad extrema redegerat Eduardus III. Angliæ Rex per unius anni obſeſſionem. Tandem ad pactionem de urbe dedenda ventum eſt. Quod tandiu ſibi reſtitiſſet ea civitas, indignans Princeps hanc legem impoſuit, ut ipſi traderentur ſex e primoribus civibus, quos ſuæ ultioni mactaret. Qua conditione conſternata fuit civitas. At generoſus civis, cui nomen *Euſtache de Saint-Pierre*, ſeſe pu-

publicæ ſaluti victimam obtulit. Huic ſeſe adjunxerunt quinque alii, tanto commoti pietatis exemplo. Angliæ Regi traditi ſunt, & jam jam morituri erant, niſi Principis uxor tantam animi fortitudinem demirans, eorum veniam ſuis precibus obtinuiſſet.

COROLLARIUM III.

Suis quiſque bonis patriam debet adjuvare; ea tantum lege id juris habent privati, ut eorum fortunas & vitam defendat Reſpublica, ut ipſorum incolumitati & ſecuritati invigilet & provideat; in publicorum igitur ſumptuum partem veniant oportet. Quinimo in arctum ſeſe cogere, & ſuperflua reſecare debent cives, quando id exigit publica neceſſitas. Si enim vitam ipſam, quanto magis ſuas facultates tenentur patriæ devovere.

Multa noſtri annales offerunt civium exempla, qui officium illud generoſe expleverunt. Infauſtus Galliæ Rex (*le Roi Jean*) poſt diuturnum, quo vexata fuit Francia, bellum, Pictavis in hoſtium poteſtatem venerat. Illico una e provinciis noſtris, nempe Occitania (*le Languedoc*) quamlibet oblectationem publicam, quodlibet luxus genus ſibi interdicit, ut laboranti patriæ ſubveniret. Clariſſimus D. de Turenne non ſemel ſuppellectilem ſuam vendidit, & ære alieno ſeſe obſtrinxit, ut exercitum, cui præerat, ſuis aleret ſumptibus. Noſtra etiam ætate, regnante Ludovico XV., crudeli bello regnum erat conflictatum, vacuum ærarium, exhauſti populi. In iis autem rerum anguſtiis, omnium animos incendit amor patriæ. Provinciæ, urbes, variique Galliæ ordines, quidquid ſibi ſubtrahere poſſunt, in commune Reipublicæ bonum conferunt, nova dilectiſſimo principi ſubſidia certatim offerunt, ex quibus conſtruantur naves bellicæ. Novum, & quidem ſplendidum, illius erga Patriam & Prin-

cipem, caritatis argumentum annus iſte nobis ſubminiſtrat.

COROLLARIUM IV.

Suas animi & corporis dotes (*talens*) in patriæ utilitatem impendere debent privati. Iis enim a Deo conceſſæ non fuerunt, niſi ut eas in commune ſocietatis bonum conferrent. Graviter igitur peccant qui, neglectis egregiis animi facultatibus, turpi otio & mollitie diffluunt. Longe aliter ſe geret bonus civis. Quidquid dotis accepit a Deo, in ſocietatis cujus eſt membrum uſus adhibebit, aliquem magiſtratum, vel artem patriæ utilem, exercendo. Ratus eo conſilio inſtituta eſſe munera publica (*les charges publiques*), ut ſocietatis felicitati ſerviant, non alium ſibi finem proponit. In iis obeundis non propriam tantum gloriam, non privata commoda, ſed communem patriæ utilitatem ſectatur.

CAPUT III.

De hominum officiis in ordine ad varias ſocietatis ſpecies.

SOcietas dividitur in domeſticam & civilem.

ARTICULUS PRIMUS.

De Societate domeſtica.

TRiplex potiſſimum diſtinguitur ſocietas domeſtica, nempe *conjugalis*, *paterna* & *herilis*.

PARAGRAPHUS I.

De Societate conjugali.

1. SOcietatis conjugalis præcipuus finis eſt liberorum procreatio, propter quam ſcilicet ſexuum diverſitas in humano genere conſtituta eſt, dicente Scriptura: *Maſculum & feminam creavit eos, benedixitque illis, & ait: creſcite & multiplicamini.* (*Geneſ.* 1. *v.* 27. & 28.) Cum autem filiorum procreatio variis de cauſis optari ſoleat, non tam eo ſpectare debent conjugum vota, ut nominis, bonorum & dignitatum heredes habeant, quam ut veræ fidei, Religionis, Deique cultores educent. Quapropter Tobiam ſic admonet Angelus: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* (*Tob.* 6. 22.)

3. Matrimonium comitari ſolent graves ærumnæ, anxietates, ſollicitudines, quæ infauſtæ ſunt primi peccati appendices. Unde Apoſtolus de conjugibus ſic habet: *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi.* (1. *Cor.* 7. 28.) Debent igitur conjuges mutuam opem ſibi præſtare, ut grave nuptiarnm jugum facilius ſuſtineant. Ad illud autem aſſequendum, ſeſe invicem diligant, mutuoque honore concordiam firmare ſtudeant neceſſe eſt; adeo ut mulieres ſint viris ſuis ſubditæ, & viri uxores habeant tanquam ſocias, non veluti famulas. Idcirco mulieribus ſic jubet Apoſtolus: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* (*Eph.* 5. *v.* 22. & 23.) Deinde ſic viris præcipit: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* (*Ibid. v.* 25.) Ut autem mutuus inter conjuges amor foveatur, vir debet, quantum ferunt Religio & ratio, uxori benignum ſeſe &

obſequioſum præbere; debet infirmitates ſexus debiliori patienter ſuſtinere; debet, quantum prudentia ſuggeſſerit, rerum domeſticarum eam participem facere, ſed ita ut auctoritatem in familiam ſemper retineat, cui præeſſe ſui eſt muneris.

3. Cum inter conjuges individua ſit vitæ conſuetudo, perpetuumque vinculum, quod ſola morte diſſolvi queat, in uxoris & mariti delectu ſumma adhibenda eſt diligentia, Quod officium ad parentes præcipue ſpectat. Juvenes enim, cum ſint inexperti, & cæco quodam affectuum impetu abripi ſoleant, ad rem tanti momenti feliciter conficiendam ſunt prorſus impares. Habenda eſt autem ratio ætatis, fortunæ, conditionis, ingenii & indolis, ut in omnibus, quantum fieri poteſt, inter utrumque conjugem ſervetur æqualitas. Nihil vero ſtudioſius explorari debet, quam ingenium & indoles. Alioqui rixis, diſſidiis innumerabilibus perturbabitur ſocietas conjugalis.

4. Poſtulant veritas & juſtitia, ut neuter futurus conjux mendacio, fraude alterum decipiat; ſed contra ingenue ſibi invicem ea declarent, quorum cognitio utriuſque interſit, priuſquam matrimonii jugum ſubeant. Sic Raguel Saram filiam ſuam in matrimonium Tobiæ traditurus, eum de ſeptem virorum, quibus illa jam nupſerat, morte præmonuit. (*Tob.* 7.) Cum enim Deus cujus providentia omnes eventus diriguntur, ſit ſumme verax & juſtus, felicem exitum ab eo ſperare non debent, qui in contrahendo matrimonio fraudem adhibuerunt.

5. Diligentiſſime curandum eſt, ut ea deligatur uxor, quæ Deum timeat, quæ virtutibus ornetur, & moribus chriſtianis ſit imbuta. His enim dotibus ſi careat, quomodo virtutem & pietatem teneris liberorum mentibus inſtillare poterit, quod tamen præcipuum eſt parentum munus? Præterea ſi vetitum ſit, ne cum ma-
lis

lis & improbis ſocietatem ineamus, quorum vitia noſtros in animos ſenſim ſubreperent; quanto minus licet conjugem pietate deſtitutam aſſumere! longe enim arctior eſſe debet ſocietas cum uxore aut marito, quam cum amicis.

Denique *domus & divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens.* (*Proverb.* 19. 14.) Tanti igitur momenti negotium, præ ceteris omnibus, divinæ bonitati commendandum eſt, tanquam opus periculoſæ plenum aleæ.

PARAGRAPHUS II.

De Societate paterna.

SOcietas paterna ea eſt quæ inter parentes & filios intercedit. Utriſque ſua ſunt officia, quæ raptim perſtringemus.

De parentum erga liberos officiis.

1. Non ſatis eſt liberos a parentibus procreatos fuiſſe; præterea alendi ſunt atque educandi. Eos proprio matris lacte eſſe enutriendos, non alienis uberibus tradendos, ipſa docet natura, quæ mulieri dedit quidquid ad munus illud requiritur. Præterea matris, non ſecus ac liberorum intereſt, ut eos ipſa nutriat. Matris quidem, quæ, niſi id faciat, nimia affluentis lactis copia graves ſibi morbos accerſit. Intereſt etiam liberorum: namque magnam partem habet in corporibus animiſque fingendis ingenium nutricis & natura lactis. Quod enim arbuſculis contingit, ut ſcilicet ad mutandam earum indolem plurimum valeant aquæ, & ſolum quibus nutriuntur; hoc multo magis in pueris locum habet; ſi ergo frequenter accidit, ut arbor læta & nitens, alium in locum tranſlata, deteriori terræ ſucco depereat; non mirum eſt ſi parentum bonorum liberi, neque cor-

pore, neque animo his ſimiles exiſtant, cum ipſis plerumque adhibeatur nutrix vitioſa. Quantum pueris noceat aliena nutritio ſic deſcribit auctor Prædii ruſtici: *Lib. 2. verſus finem.*)

At puer ingenuus, qui ſub laquearibus aureis
Exoritur, triſti patrios mutare Penates
Cogitur exilio; poſitoque puerpera fœtu
Femina, dives opum, ventris cum pondere matrem
Exuit, atque boum mugitus inter, alendam
Rus aliquo ſobolem domina procul urbe relegat:
Quæque cani ſugenda dabit, negat ubera nato:
Gibbere, diſtortis fœdum vel cruribus, annos
Poſt aliquot, puerum recipit, quem plurima paſſum
Non oculo novit, non pectoris indice motu.

Præterea mulierum crudelitate, quæ ſuos partus deſerunt, & a ſe ablegant, interſcinditur, aut certe quidem deteritur vinculum illud animi & amoris, quo parentes cum filiis natura colligat. Nam ubi infans procul a matris conſpectu exulat, maternus amor ſenſim reſtinguitur: ipſius quoque infantis affectus in ea ſola conquieſcit, cujus curis alitur; & proinde, ut in pueris expoſitis uſuvenit, matris quæ illum genuit vix ullus ſupereſt ſenſus, ullumque deſiderium.

2. Nihil parentibus debet eſſe antiquius, quam ut chriſtiane inſtituantur ipſorum liberi. Eos ad ſupremi Numinis cognitionem, cultum & amorem verbo & exemplo informent, Tobiam imitantes qui filium *ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* (*Tob.* 1. 10.) Pietatis aliarumque virtutum exempla ipſis proponant, ſive ex profanis, ſive præſertim ex ſacris auctoribus deprompta. Hoc imprimis caveant parentes, ne facta verbis diſſentiant, praviſque ſuis moribus liberos ad imitationem pronos in vitia pertrahant. *Maxima*, inquit Ethnicus Poeta, *pueris debetur reverentia.* Cum natura ſimus earum rerum te-

na-

naciſſimi, quæ rudibus annis percipiuntur, maxime curandum eſt, ut pueri nihil niſi bona & recta videant, legant, audiant, quorum memoria uſque ad ſenectutem eos proſequatur. Quam ob cauſam a famulorum conſortio, quantum fieri poteſt, removeantur. Nihil eſt enim tam tenerum, tam flexibile, tam quocumque inclinaveris cereum, quam puerorum mentes. Plurimum igitur eſſet periculi, ne cereis illorum animis multa imprimerentur indecora & obſcæna, ſi inter famulos verſarentur, qui plerumque corruptis ſunt moribus.

3. Curent parentes, ut liberi ab ignobili otio abducantur, & iis erudiantur diſciplinis vel artibus, quæ cujuſque indoli & conditioni videntur congruere. Poſtquam autem eos magiſtris edocendos commiſerint, non idcirco ſeſe ab omni cura ſolutos exiſtment. Verum qui ſint eorum progreſſus, quæ agendi ratio, qui mores diligenter inquirant. Qua in re non leviter peccant multi parentes, qui ubi ſuos liberos in magiſtrorum diſciplinam tradiderunt, vel potius projecerunt, de ipſis nihil ſunt ſolliciti, nihil de eorum ſtudiis, nihil de moribus inquirunt, imo illorum præceptores, ne facie quidem, ut plurimum, norunt.

4. Cum adultam ætatem aſſecuti fuerint liberi, ipſis proponatur vitæ inſtitutum, non quod caro & ſanguis, ſed quod voluntas Dei, æternaque liberorum felicitas ſuadere videantur. Cum patriæ membra naſcantur, aliquod vitæ genus amplecti debent, quo Reipublicæ, ſive in toga, ſive in armis, ſive in aliis artibus utiles eſſe poſſint, ut ſic monet Juvenalis ſatyra 14.

Gratum eſt quod patriæ civem, populoque dediſti,
Si facis ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.

De

De liberorum erga parentes officiis.

Liberorum erga parentes officia ad quatuor præcipua revocari poſſunt, honorem ſcilicet, amorem, obedientiam & auxilium.

1. Equidem parentibus deberi honorem & reverentiam, ita docet & ſuggerit natura, ut in ea re conſentiant cujuſcumque nationis & Religionis populi. Quod naturæ præceptum ſic confirmat Deus: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* (*Exod.* 20. 21.) Idem præcipitur his verbis: *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſerviet his qui ſe genuerunt.* (*Eccli.* 3. 8.) Dei enim, cujus locum erga nos tenent, ſunt imagines. Divinæ potentiæ inſtrumenta fuerunt ad vitam nobis impertiendam; divinæ Providentiæ quaſi canales extitere, ad nos enutriendos. Quæ igitur ipſis infertur injuria, eadem in ipſum Deum recidit. Idcirco veteri in lege capitali ſententia damnatum voluit, qui parentibus eſſet contumelioſus: *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.* (*Exod.* 21. 17.)

Duo poſtulat honor parentibus debitus, 1. ut eos conſulant liberi in rebus alicujus momenti, in quibus ab eorum auctoritate pendent, ipſorumque conſiliis acquieſcant, niſi obſtiterit lex divina; 2. ut parentum infirmitates patienter ſuſtineant: æquiſſimum enim eſt, ut qui juvenilem infirmitatem noſtram ſuſceperint, eorum ſenilem imbecillitatem toleremus. *Fili*, inquit Eccleſiaſticus, *ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius; & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua.* (*Cap.* 3. *v.* 14. & 15.)

2. Parentes ſuos amore tenerrimo complecti debent liberi; ingrati enim animi vitio graviter peccarent, niſi eos diligerent, quorum miniſterio & vitæ uſuram, & innumera beneficia a Deo acceperunt. Summopere igitur ſtudendum

dum eſt, ut parentibus noſtra agendi ratio in omnibus placeat; ut ſive pro bonis lætitiam, ſive pro malis quæ ipſis accidunt, dolorem iis ſignificemus. Sed in eo maxime elucere debet amor noſter, ut parentum bono ſpirituali conſulamus. Si enim de temporalibus duntaxat ipſorum bonis ſolliciti ſumus, eos paganorum more, non vero ut Chriſtianos decet, diligimus: idcirco nihil omittere debent liberi, ut parentum ſaluti inſerviant, ſive precibus, ſive exemplis, ſive monitis, prout chriſtiana ſuggeſſerit prudentia.

3. Non ſatis eſt parentes honore & amore proſequi, ipſius præterea obediendum eſt. Cujus obſequii illuſtre exemplum præbuit Chriſtus Dominus, de quo ſic narrat S. Lucas: *Erat ſubditus illis*, parentibus. (*Cap.* 2. *v.* 51.) Idem ſic jubet Apoſtolus Chriſti fidiſſimus interpres: *Filii, obedite veſtris parentibus in Domino; hoc enim juſtum eſt* (*Eph.* 6. 1.): *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino.* (*Coloſſ.* 3. 20.) Hæc autem parentibus obtemperandi lex, non tantum quandiu vivunt, ſed etiam poſt ipſorum mortem, obligat. Debent enim filii vere chriſtiani ultimas parentum voluntates, poſt eorum obitum, religioſe exequi.

4. Parentibus ſubminiſtrandum quidquid ad vitam ſuſtentandam neceſſarium eſt, habita ratione ſtatus & conditionis. Nihil quippe æquius eſt, quam iis partim ſaltem rependere quæ ab ipſis accepimus. Quidquid enim beneficii in parentes conferat filius, nunquam tantum dare poterit, quantum ſibi ab ipſis collatum fuit.

PARAGRAPHUS III.

De Societate herili.

Dominorum erga famulos officia hic leviter attingemus. I. Imperium domini in famulos, nec durius ſit, nec mollius. Non durius quidem

dem imperitare debent, ſed meminiſſe illud Apoſtoli: *Vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* (*Eph.* 6. 9.) Idem Apoſtolus ad Philemonem ſcribens in gratiam Oneſimi ejus ſervi, qui Religionem Chriſtianam amplexus fuerat, Philemonem hortatur, ut ipſum habeat, *jam non ut ſervum, ſed pro ſervo cariſſimum fratrem.* (*v.* 16.) Præterea recogitandum eſt, famulorum conditionem non tantum laborioſam eſſe, ſed etiam apud homines vilem & abjectam; poſtulant igitur humanitas & caritas, ut illius miniſterii difficultates & demiſſionem, quantum in nobis eſt, temperemus: non tamen benignius & indulgentius ſeſe gerere debent domini; nimia enim bonitate abutuntur famuli, juxta illud Proverbiorum: *Qui delicate a pueritia nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.* (*Cap.* 29. *v.* 21.) Prudentis eſt domini, explorata famulorum indole, cum aliis mitius, cum aliis ſeverius agere.

2. Tenentur domini pactam cum famulis mercedem tempore conſtituto perſolvere, nec longiorem facere hujus expectationem. *Quicumque*, inquit filio ſuo Tobias, *tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* (*Tob.* 4. 15.) Operas ſuo pretio & famulos ſua mercede fraudare, tantum eſt peccatum, ut quaſi homicidium a Scriptura reputetur: *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* (*Eccli.* 34. 27.)

3. Si quem in morbum inciderit famulus, diligentem illius curam gerere debet herus. Si enim quibus indiget ſubſidia illi ſubminiſtrari non curaverit, contra caritatem peccat. Inhumane autem prorſus agerent heri divites, ſi famulos ægrotantes, aut derelinquerent, aut cogerent tenue peculium, multis ſudoribus compa-

paratum, in morbi curationem impendere, vel ad publicam pauperum domum confugere. Præterea boni domini eſt efficere ut, poſt ipſius obitum, fidi vereresque famuli habeant unde vivere poſſint, nec poſtea in famulatum ſeſe tradere cogantur.

In præfatis officiis non agitur niſi de bonis temporalibus. Quod ſpectat ad ſpiritualia, tenentur domini famulorum ſaluti impenſius conſulere, nihilque omittere, ut eos a malo deterreant, ad bonumque excitent. Herus enim quiſque, ut notat Auguſtinus, tanquam ſuæ familiæ Epiſcopum ſeſe reputare debet, & ea, qua paſtorem decet, ſollicitudine, ſuos domeſticos ad Dei cultum impellere.

Debet ergo 1. curare ut officiis a Religione præſcriptis accurate fungantur, eoſque ſuis exemplis excitare; 2. ſummam adhibere diligentiam ut Religionis Chriſtianæ dogmatibus, myſteriis, præceptis erudiantur, ſive eos cogendo publicis Parochiæ exercitationibus intereſſe; ſive operam dando, ut privatim edoceantur, ſive libros ſubminiſtrando qui veræ ſolidæque pietatis ſenſus & documenta contineant; ſed maxime cavendum, ne pravos lectitent libros, qui eos ad turpia ſollicitent.

3. Non permittat herus ut famuli otio diffluant, ſed eos jubeat vel in opus aliquod manuale, vel in lectionem, vel in ſcriptionem impendere quidquid temporis, expleto ſervitio, ſupererit; ſic quippe innumeris occurreretur malis & vitiis: *multam enim malitiam*, inquit Scriptura, *docuit otioſitas*. (*Eccli*. 33. 29.) Quid aliud diſcere poſſunt homines per notabilem diei partem occupationibus vacui, & quorum plerique non aliud tædio remedium adhibent, quam ludum, vinum, aut colloquia, quibus ad libidinem pertrahuntur?

4. Vel per ſe, vel per alios diligenter explorent domini, quænam ſit famulorum agendi ratio, qui mores. Ad ipſos enim ſpectat terribilis hæc

Apo-

Apoſtoli ſententia: *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* (1. *Tim.* 5. 8.)

ARTICULUS II.

De Societate civili.

SOcietas civilis definiri poteſt hominum multitudo, qui ſub eodem regimine publico conſociantur, ſecuritatis felicitatiſque comparandæ gratia. Variæ autem ſunt civilis regiminis formæ, quæ tamen ad tres generales revocari poſſunt; aliud quippe eſt *monarchicum*, aliud *ariſtocraticum*, & aliud *democraticum*.

Regimen *monarchicum* illud eſt in quo ſummum imperium in uno reſidet, ſive in quo unus imperat Princeps, qui dicitur *Monarcha*, ut in Gallia & Hiſpania. *Ariſtocraticum* appellatur illud in quo imperant Optimates, ſeu Nobiles ſimul plures, ut fit apud Venetos. Tandem *democraticum* vocatur illud quod a populo adminiſtratur, ſive in quo Reſpublica a Conſilio regitur, in quo quilibet e populo jus habet ſuffragii, ut apud Helvetios.

Quæritur 1. quænam ex triplici illa regiminis forma ſit præponenda.

Reſp. Sicut artem ſuam quiſque laudare amat, ſic patriam, mores, vitæ inſtitutum, regiminiſque ſui formam. Sed ingenue fatendum eſt ſua unicuique eſſe commoda, & pariter ſua, propter hominum cupiditates, incommoda. Illud autem præ aliis laudandum regimen, quod minimis urgetur incommodis. Quo nomine, primatum ſibi vindicare monarchicum regimen exiſtimamus.

1. Quia in eo civium concordiæ magis conſulitur, quippe qui in officio continentur efficacius ab uno Rectore, cui cum una ſit voluntas, non multiplex, ut accidit quando rerum adminiſtrationi plures præficiuntur, æquali ſemper te-

tenore aguntur omnia, quemadmodum univerſus orbis ab unico & omnipotente Deo conſtanti modo regitur. 2. Quia firmior exiſtit Reſpublica: ubi enim unus eſt rerum moderator, in unum conſpirant omnium ſtudia, & vires populi in unum colliguntur, tantus non eſt ambitioſorum potentiorumque hominum factionibus & diſſidiis locus. 3. Quia felicitati publicæ magis allaboratur ab unico moderatore, quam a pluribus. Rector enim unicus Rempublicam curat tanquam ſuam, Rectores autem plurimi, tanquam communem; ita vero comparati ſunt homines, ut quiſque illud ſtudioſius curet, quod ſpectat tanquam ſuum. 4. Denique quia in domo privata, in navi, in exercitu, longe melius concordiæ bonoque communi conſulitur unius, quam multorum, imperio; idem igitur in ſocietate civili evenire debet.

Quæritur 2. undenam oriatur ſuprema civilis regiminis poteſtas.

Reſp. Certum eſt neminem, quamvis robore, opibus, ingenio præſtantem, jus habere alios ſuo imperio ſubjiciendi, ſive eos ad leges quas condiderit obſervandas cogendi. Eximiæ enim tum animi, tum corporis dotes nullum in alios dominium conferre valent, ut ſatis patet. Idcirco, ut legitima ſit in Principe auctoritas, requiritur conſenſus & libera electio, qua populus vel uni, vel pluribus regendum ſeſe committat. Verum conferatne populus ſummam poteſtatem, quæ in ipſo ante Principis delectum reſidebat; an vero ſuam a ſolo habeat Deo hæc poteſtas, id ipſum eſt, quod in controverſiam auſi ſunt quidam adducere. Qua de re ſit ſequens propoſitio.

PRO-

PROPOSITIO.

Suprema Principum auctoritas a Deo, non a populo, ſuam habet originem.

Probatur: Suprema auctoritas, ex omnium conſenſu, leges condere poteſt, pœna etiam mortis adverſus tranſgreſſores conſtituta: atqui hæc poteſtas a Deo ſolo, qui ſummus eſt vitæ & necis arbiter, confertur, non a ſingulis hominibus Principem eligentibus. Cum enim nec in ſuam, nec in aliorum vitam jus habeant, illud alteri dare nequeunt; ergo, &c.

Præterea ſi poteſtas ſuprema a populo conferatur, populus obedire non tenebitur, niſi propter fidem Principi ea conditione datam, ut bene imperet: atqui illud dici non poteſt; ſi enim nonniſi cum Princeps recte imperat, obtemperare teneretur populus, judex eſſet legum a Principe conditarum, eaſque pro ſuo nutu recuſare poſſet: atqui nihil ſupremæ Principum auctoritati, nihil communi ſocietatis bono magis adverſatur. Id enim turbas, diſſenſiones publicas, apertamque adverſus Principes rebellionem induceret; de ſocietate igitur actum eſſet & conclamatum; ergo, &c.

Denique iis accedit Scripturarum auctoritas: *Per me Reges regnant*. (*Prov.* 8. 15.) Nabuchodonoſor Principem ethnicum ſic alloquitur Daniel: *Deus Cæli regnum & . . . imperium dedit tibi . . . & ſub ditione tua univerſa conſtituit*. (*Dan.* 2. *v.* 37. & 38.) -- *Non eſt poteſtas niſi a Deo*, inquit Apoſtolus; *quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt*. (*Rom.* 13. 1.) Veritatem hanc innumeris in locis prædicant SS. Patres. Sed unum hic appellabimus Auguſtinum: *Deus ipſe*, inquit, *dat regna terrena bonis & malis*. (*Lib.* 4. *de Civit. Dei*, *cap.* 33.) -- *Non tribuamus dandi regni atque imperii poteſtatem, niſi Deo vero*. (*Ibid. Lib.* 5. *cap.* 21.)

CO-

COROLLARIA.

Hinc colliges 1. Principibus obediendum eſſe, non ſolum *propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, ut ait Apoſtolus, id eſt non ſolo metu pœnæ transgreſſoribus impoſitæ, ſed etiam propter obſequium Deo debitum. 2. Nunquam licitum eſſe adverſus Principes rebellare. *Qui enim reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* (*Rom.* 13. 2.) Quamvis igitur Princeps crudeliter imperaret, quamvis veræ Religionis foret hoſtis infenſiſſimus, ab eo tamen deſciſſere nefas eſſet; ſed ita in vera Religione ſtandum eſſet, ut nec quidquam contra Deum admitteretur, nec a Principe fieret defectio. Qua in re primorum Chriſtianorum illuſtre habemus exemplum, qui omnia potius mala patiebantur, quam Deum offenderent, vel fidem Principi debitam violarent. 3. Regiam poteſtatem a Deo ſolo pendere. *Colimus Imperatorem*, ait Tertullianus, *ut hominem a Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem*. (*L.2. ad Scapulam, c.2.*) Nullam proinde in terris eſſe poteſtatem, quæ ſubditos a fidelitate Principibus debita eximere poſſit. 4. Auguſtiſſimam Regis perſonam verbis aut factis lædere quoddam eſſe ſacrilegii genus. Cum enim divinæ ſupra homines poteſtatis ſit particeps, quædam eſt in terris ipſius Divinitatis imago. 5. Tandem colliges a civibus honorem & reverentiam deberi Magiſtratibus a Rege conſtitutis. Principis enim vices gerunt, qui cum ſolus nequeat rerum publicarum onus ſuſtinere, Magiſtratus quoſdam deligit, qui legum cuſtodes ſint & vindices.

Quæres 3. quænam ſint præcipua Magiſtratuum & Judicum officia & dotes.

Reſp. 1. Debent ex legum præſcripto judicare; eas igitur noverit judex neceſſe eſt, illarumque mentem diligenter perſcrutetur, ut ab iis in omni judicio non deflectat.

2. Lucro & avaritiæ non ſerviat. Præcipua enim Judicum dos eſt integritas, quæ nec cor-

rum-

rumpi nec labefactari poſſit: atqui Judex lucrum inhians & avaritiæ ſtudens, intemeratam in dicendo jure integritatem non retinebit: munerum enim illecebris captus, litigantis qui plus obtulerit jus magis certum eſſe ſibi facile perſuadebit. Hinc illud Deuteronomii: *Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum*. (*Cap.* 16. *v.* 19.)

3. Judici ſumma opus eſt conſtantia, invictoque animi robore. Ita enim comparatus eſſe debet, ut nec odii, nec amoris affectibus, nec vindictæ deſiderio, nec potentum precibus, aut minis, nec mortis ipſius formidine ab officio deterreatur. Ad illud vero quanta requiritur animi fortitudo! unde ſic monet Eccleſiaſticus: *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis .... noli eſſe puſillanimis in animo tuo*. (*Cap.* 7. *v.* 6. & 9.) Præterea neceſſe eſt ut judex ſtudiis plerumque jejunis, ingratis & difficilibus vacet; ut obſcura & ambigua partium jura diligenter excutiat; ut vix alienis, qui ſæpe fallunt & falluntur, oculis credat; tot vero labores quo pacto ſuſtinere poterit, niſi maxima animi firmitate polleat?

4. In judicio ſola cauſa, ſeu res de qua diſceptatur, ſpectanda eſt, nulla habita ratione perſonæ, ſive ſit pauper, ſive potens. Ita præcipit Deus: *Non facies quod iniquum eſt, nec injuſte judicabis. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis; juſte judica proximo tuo*. (*Levit.* 19. 15.) Audiendi ſunt igitur litigantes, qualeſcumque fuerint, nobiles vel plebeii, divites aut pauperes, urbani vel ruſtici; ponderanda quæ utrinque allegantur; nec enim quempiam inauditum condemnari patitur ratio.

Quæres 4. utrum Judex condemnare poſſit hominem in re capitali accuſatum, & ſufficienti teſtium numero convictum, quem privata ſcientia certo novit eſſe innocentem.

Reſp.

Reſp. Partem affirmantem defendunt multi, inter quos eminet S. Thomas. Alii autem cum S. Bonaventura negant, & contendunt teneri hujuſmodi Judicem abſtinere a judicio, imo Magiſtratum, ſi neceſſe ſit, deponere. Qua de controverſia ſit

PROPOSITIO.

Non licet Judici ex allegatis & probatis hominem condemnare, quem certo novit innocentem; verum a judicio debet abſtinere; imo, ſi neceſſe ſit, Magiſtratum deponere.

Prob. NOn licet agere contra legem tum naturalem, tum poſitivam: atqui judex eum condemnare non poteſt, quem certo novit innocentem, quin agat 1. contra legem naturalem. Hæc enim clamat, morte non afficiendum eſſe inſontem; 2. contra legem poſitivam, & quidem divinam. Sic enim vetat Deus: *Non ſuſcipies vocem mendacii .... non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies*. (*Exo.* 23. *v.* 1. & 2.) Atqui judex hominem innocentem in hypotheſi propoſita damnando, *ſuſciperet vocem mendacii*, nempe teſtium criminationes, quarum falſitatem compertam habet; *ſequeretur turbam ad faciendum malum*, nempe ad judicandum contra propriam conſcientiam, quod ſemper eſt peccatum; *plurimorum acquieſceret ſententiæ ut a vero deviaret*, pronuntiando ſcilicet contra veritatem ſibi cognitam; ergo, &c.

Præterea judex, quantum poteſt, illum imitari debet, cujus in jure dicendo perſonam gerit: atqui judex in jure dicendo ipſius Dei perſonam ſuſtinet, juxta illud Scripturæ ad Judices: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini*. (*Lib.* 2. *Paralip.* 19. *v.* 6.) Deus vero ſecundum veritatem ju-

judicat, non ſecundum falſa hominum teſtimonia; ergo judex eodem modo ſe gerere debet.

Denique minima de malis eligenda ſunt, ut vulgari fertur axiomate: atqui judex in caſu propoſito longe minus malum, leviuſque incommodum ſubit, Magiſtratus jacturam ſuſtinendo, quam reluctante conſcientia, pœnam capitis in hominem inſontem ferendo. Tunc quippe maximum Dei odium in ſe concitaret: *Qui enim condemnat juſtum, abominabilis eſt .... apud Deum.* (*Proverb.* 17. 15.) Ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Ita præcipit Deus: *In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur.* (*Deut.* 17. 6.) Ergo judex debet judicare ſecundum allegata & probata, contra privatam ſententiam.

Reſp. Neg. conſeq. Id unum declarat objectus Scripturæ locus, nullum ſcilicet unius hominis teſtimonio eſſe condemnandum, quia ex trito proverbio, *Teſtis unus, teſtis nullus*. Hunc eſſe genuinum Scripturæ ſenſum demonſtrant verba immediate ſubjuncta: *Non occidatur, uno contra ſe dicente teſtimonium.* Objectus vero textus nullo modo probat damnandum eſſe hominem a falſis teſtibus accuſatum, cujus innocentia cognoſcitur. Cur enim jubet Deus adhiberi teſtes? ut veri ſontes legitime puniantur, minime vero ut innocentes in ullo caſu morte plectantur.

Inſt. Judex, cum ſit perſona publica, ſecundum ſcientiam publicam, non vero privatam, judicare debet; ergo & ſecundum allegata a teſtibus.

Reſp. Neg. ant. Judex quidem, cum judicat, publicam, non vero privatam, ſcientiam ſequi debet. In præſenti autem hypotheſi, ubi cum allegatis pugnat privata illius ſcientia, tenetur a judicio, ne damnet innocentem, abſtinere.

Al-

Allegata enim & juridice probata propriam certamque judicis cognitionem non deſtruunt; nunquam autem licet contra veritatem liquido cognitam agere.

Obj. 2. Id judici non licitum eſt, quod publicæ tranquillitati nocet: atqui a judicio non poteſt abſtinere, quin publicæ tranquillitati noceat; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Publicam enim tranquillitatem aſſerit, qui impedit, quantum poteſt, ne opprimatur innocens: atqui judex in caſu de quo agitur, a judicio ſeſe continens, impedit, quantum in ſe eſt, ne opprimatur innocens; ergo, &c.

Inſt. Niſi judex in facta hypotheſi ſententiam ferat, via ſceleribus aperietur. Corruptus enim judex ſontes non damnabit, cauſabiturque ſe contra propriam ſcientiam non poſſe innocentem condemnare; ergo judex in præſenti caſu a ſententia ferenda non poteſt abſtinere, quin publicæ tranquillitati noceat.

Reſp. Neg. ant. 1. Quia, licet judex ille ſententiam non ferat, ceteri qui cum eo de eadem cauſa cognoſcunt, pronuntiare poſſunt. 2. Quia ſontes multi adeo ſunt manifeſti, ut in ipſorum gratiam nullus judex poſſit privatam ſcientiam obtendere; 3. quia ſatius eſt reum abire inultum, quam damnari innocentem.

Obj. 3. Tenetur Sacerdos Euchariſtiam porrigere homini publice ad ſacram Menſam accedenti, quamvis eum peccato mortali inquinatum, ac proinde indignum, certo noverit; ergo pariter debet judex innocentem accuſatum contra privatam ſcientiam condemnare.

Reſp. Diſt. conſeq. & parit. Miniſter enim qui Euchariſtiam homini porrigit, quem indignum certo novit, 1. legi eccleſiaſticæ obtemperat, quæ ita fieri jubet, ut ſcandalis occurratur; 2. exemplum Chriſti ſequitur, qui corpus ſuum Judæ tradidit, quamvis atrocem ipſius perfidiam haberet compertam. Judex vero qui

hominem damnaret, cujus ſibi perfecta eſt innocentia, legis tum naturalis, tum divinæ violator eſſet, ut conſtat ex dictis.

Obj. 4. Dux exercitus, quamvis multos inſontes in urbis obſidione perituros noverit, ab ea tamen obſidenda non tenetur abſtinere; ergo neque judex de quo diſputatur, a ſententia ferenda debet abſtinere.

Reſp. Neg. conſeq. Immane quippe eſt diſcrimen inter ducem exercitus & præfatum judicem. Ducis enim officium eſt publicam injuriam auctoritate publica in bello juſto vindicare aut repellere. Unam ſibi proponit urbis expugnationem; ſi qui inſontes in obſidione pereant, illud præter ipſius mentem contingit. Judicis autem munus eſt, ſuum cuique jus tribuere, ac proinde vitam innocenti ſervare, qui in eam jus habet; nullam damnandi inſontis poteſtatem accepit a Republica, quæ ipſa eum abſolveret, ſi ejus innocentiam certo cognoſceret.

DISSERTATIO III.

De hominis erga Deum officiis.

Omnium quibus erga Deum obſtringuntur homines officiorum complexio, dicitur Religio, quæ eum omnem cultum continet, quo ipſi placeamus, vitamque æternam conſequamur. Unica eſt hujuſmodi Religio, nec alia eſt quam Chriſtiana. Duplicis autem generis officia complectitur, alia nempe quæ dictat ratio naturalis, & alia quæ per ſolam revelationem innoteſcunt. Ipſa rationis naturalis præcepta ita obſcuraverunt variæ hominum cupiditates, ut tanquam ſingulare Dei beneficium habere debeamus, quod ea per externam revelationem nobis manifeſtare dignatus fuerit.

Tria erunt graviſſimæ hujus diſſertationis capita: in primo, de cultu qui Deo debetur; in ſecundo, de revelatione; in tertio, de Chriſtia-

ſtianæ Religionis veritate & divinitate dicturi ſumus.

CAPUT PRIMUM.

De cultu qui ab hominibus Deo debetur.

HIc nobis cum Deiſtis quibuſdam congrediendum eſt, qui docent Deum, utpote ſibi ſufficientem, nullum ab hominibus cultum exigere, ſive interiorem & animi, ſive exteriorem & corporis.

PROPOSITIO I.

Deo cultus internus debetur.

Probatur 1. ILlud ſupremo Numini debent homines quod poſtulant divinarum perfectionum excellentia, & ipſa hominis natura: atqui ut cultum internum Deo rependamus poſtulant, &c. Ille enim potiſſimum conſiſtit in amore, adoratione, oratione, gratiarum actione: atqui hæc omnia Deo vindicant divinarum perfectionum excellentia, & ipſa hominis natura.

1. Quidem amorem: cum enim amandi facultatem a Deo habeant acceptam homines, hæc verſus illud objectum ſeſe ferre debet, quod magis perfectum & amore dignum eſt, atqui nullum fingi poteſt objectum, quod Deo perfectius ſit & amore dignius. Præterea immutabilis rerum ordo exigit, ut homo eam qua pollet, amandi facultatem ad illud bonum convertat, quo ſolo expleri poteſt voluntatis noſtræ capacitas: atqui hujuſmodi bonum in ſolo Deo ſitum eſſe demonſtravimus; ergo 1. &c.

2. Ut Deus ab hominibus adoretur, exigit divinæ & humanæ naturæ ratio. Deum enim adorare nihil aliud eſt, quam ſummum illius in nos creaturaſque omnes dominium ex animo

confiteri, ipſique ſeſe omnino ſubjicere: atqui naturæ divinæ excellentia, ſimul & hominis conditio poſtulant, ut ſupremum illud Dei dominium agnoſcamus & revereamur, ipſique libenter ſubjecti ſimus, cum e nihilo nos eduxerit; ergo 2. &c.

3. Ut Deo preces noſtras offeramus neceſſe eſt: Deus enim eſt ſumme potens & beneficus, homines vero Dei ope maxime indigent, ut ipſius præcepta exequantur, & quæ ſibi neceſſaria ſunt obtineant: atqui præcipit ratio naturalis, ut creatura ex ſe indigens, ſuum auctorem & potentiſſimum & maxime beneficum suppliciter deprecetur, ad illud quo caret impetrandum; ergo 3. &c.

4. Deo gratias agere tenemur: ea quippe eſt naturæ lex, ut ei a quo beneficium acceperis, memorem animum & grates rependere debeas: atqui nulla ſunt beneficia quæ cum iis comparari poſſint, quæ in homines effudit ſumma Dei liberalitas. Nobis enim vitam conceſſit, & datam conſervat; ab illius munificentia defluxit quidquid facultatis, quidquid boni nobis ineſt; ergo 4. &c. ergo internus Deo cultus debetur.

Prob. 2. Nulla unquam extitit gens adeo rudis & fera, quæ Deum quem agnoſcebat, non coluerit. *Sua*, inquit Tullius pro Flacco, *ſua cuique civitati Religio eſt: Deum quippe natura venerari novit; nec quiſquam eſt homo, qui legē quæ hoc præcipiat, careat*: atqui unanimis ille circa internum Dei cultum conſenſus, naturæ vox eſt concordiſſima; neque enim a cupiditatibus, aut præjudiciis ortum habuit: non quidem a cupiditatibus, cum frenum ſit illis reprimendis & coercendis efficaciſſimum; non etiam a præjudiciis; ea quippe nec univerſa, nec perpetua ſunt; maxime vero quando cupiditatibus adverſantur: atqui populorum in admittendo cultu Dei interno conſenſus, omnium eſt locorum, omniumque temporum, ut teſtis eſt ipſe Tullius; ergo, &c.

Prob,

Prob. 3. Quo conſilio Deus mundum ita condidit, ut conſpicuos ſuarum perfectionum, potentiæ nimirum, ſapientiæ & bonitatis characteres operi ſuo impreſſerit? Quo conſilio rationem & intelligentiam homini indidit, quâ facile valeat ipſum ſuaſque perfectiones undique in orbe univerſo collucentes agnoſcere? Nonne Creatori ea mens fuit, ut ipſum homines colerent, intimiſque amoris, adorationis, venerationis & grati animi ſenſibus proſequerentur? Ergo internum Deo cultum debent homines.

Solvuntur objecta.

Objic. Deus nullum ab homine cultum interiorem exigit; ergo nullus ipſi debetur.

Reſp. Neg. ant. Deus enim non poteſt non exigere, quod jubet ſummus & immutabilis ordo; alioqui voluntas divina non eſſet perfectiſſima; atqui præcipit ſummus & immutabilis ordo, ut internum Deo cultum rependamus. Cum enim omnium ſit cauſa & principium, jubet immutabilis ordo in eo ſolo finem omnium ultimum eſſe conſtituendum: atqui non poteſt Deus eſſe omnium finis ultimus, quin homines ſeipſos ad Deum referre teneantur, eum ſcilicet interius colendo.

Argumentum iſtud ita proponit illuſtriſſimus D. Fenelon, Archiepiſcopus Cameracenſis: *Dieu ſe doit tout, il ſe rend tout: Tout vien de lui, il faut que tout retourne à lui. Autrement l'ordre ſeroit violé ..... Si Dieu agiſſoit ſans aucune fin, il agiroit d'une façon aveugle, inſenſée, où ſa ſageſſe n'auroit aucune part; s'il agiſſoit pour une fin moins haute que lui, il rabaiſſeroit ſon action au deſſous de celle de tout homme vertueux qui agit pour l'Etre ſuprême. Ce ſeroit le comble de l'abſurdité. Concluons donc, ſans craindre de nous tromper, que Dieu fait tout pour lui-même: or, cet Etre ſuprême, que nous nommons Dieu, ne peut avoir créé*

les êtres intelligens pour lui, qu'en voulant que ces êtres emploient leur intelligence à le connoître, & à l'admirer, & leur volonté à l'aimer, & à lui obéir,... il faut qu'en les créant, il ſe propoſe pour fin de ſon ouvrage, de ſe faire connoître comme vérité infinite : & de ſe faire aimer comme bonté univerſelle. (*Lettres ſur divers ſujets concernant la Religion & la Métaphyſ. pag.* 42. *& ſuiv.*)

Inſt. 1. Deus exigere non poteſt cultum ipſo indignum; atqui humanus quilibet cultus, utpote finitus, Deo indignus eſt; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Illud Deo non eſt indignum quo ſublato, violaretur æternus & immutabilis ordo, quem Deus neceſſario diligit : atqui ſublato Dei cultu quamvis finito, læderetur æternus, &c. quid enim inordinatum magis fingi poteſt, quam creatura rationalis, quæ nullos amoris, adorationis, obſequii, memoris animi ſenſus ſuo rependit Creatori, cujus tanta eſt perfectio, tanta majeſtas, tanta munificentia ? Hujuſmodi creaturam quoddam eſſe monſtrum ſic oſtendit D. Clarck. *Je poſe en fait que la vue d'un arbre planté dans un terroir fertile, continuellement humeté par la roſée du ciel, & échauffé par les rayons du ſoleil, qui avec tout cela ne porte ni feuille, ni fruit, n'eſt pas un objet à beaucoup près ſi irregulier & ſi contraire à la nature, que de voir un être raiſonnable, perſuadé que Dieu fait en ſa faveur, tout ce qu'un être infiniment bon peut faire pour le bien de ſa créature, négliger cependant de s'acquitter envers lui des devoirs qui naiſſent néceſſairement de la relation que la creature a avec ſon créateur.*

Inſt. 2. Deus, utpote ſibi ſolus ſufficiens, humano cultu non indiget; ergo eum non exigit.

Reſp. Neg. conſeq. Ex eo quod enim ſi Deus ſolus ſufficiat, id unum colligi poteſt, nempe cultum interiorem a Deo nobis non præcipi, ut inde aliquid utilitatis in eum redundet. Nequa-

quaquam vero inferre licet Deum a nobis cultum aliquod non poſtulare, tum ut jure ſuo utatur, tum ut cultus ille nobiſmetipſis fructuoſus ſit. Præterea nonne Deus mundum condidit, quamvis eo non indigeret? Quidni ergo poteſt cultum ab homine exigere, licet inde felicitati ſuæ nova quædam non fiat acceſſio? Quin imo non potuit Deus legem hanc homini non imponere: alioquin contra ſupremum ordinem peccaſſet, ut liquet ex dictis.

PROPOSITIO II.

Neceſſarius eſt cultus Divinitatis externus.

Prob. 1. Cultus externus ille eſt, qui corporis miniſterio exercetur, quo ſuos erga Deum pietatis & Religionis ſenſus homo manifeſtat: atqui hujuſmodi cultus eſt neceſſarius. A cultu enim interiori quem Deo debitum eſſe demonſtravimus, non poteſt non fluere. Cultus enim internus in amore præſertim ſitus eſt; atqui homines a natura ita comparati ſunt, ut aliquem diligere non poſſint, quin amor ille in ſigna quædam externa proſiliat; a laudibus, donis, aliiſve teſtimoniis ſeſe temperare non poteſt. Impoſſibile igitur eſt, ut Deum ſincero diligamus affectu, quin vividi divinæ caritati ſenſus nonnullis exterioribus ſignis ſeſe prodant.

Prob. 2. Quia cultus externus iiſdem nititur fundamentis, ac cultus interior. Cur enim Deo cultum debemus internum? Nonne quia noſtram creavit animam, eamque plurimis ornavit facultatibus, quas ſine ingrati animi vitio in ipſius gloriam non poſſumus non impendere; ſiquidem propter alium finem ultimum, quam ſeipſum, agere non poteſt Deus? Atqui non minus valent rationes illæ, ad ſtabiliendam cultus externi neceſſitatem. Non animæ enim tantum, ſed & corporis noſtri creator eſt Deus;

utriuſque ergo famulatum ei debemus, a quo utrumque accepimus; neceſſe eſt proinde, ut ſuum Deo tributum pro ſuo modulo corpus perſolvat, utque variæ illius facultates a Deo acceptæ, ad promovendam ipſius gloriam conſecrantur.

Prob. 3. Quia cultus exterior ad augendam & confirmandam noſtram erga Deum pietatem maximi eſt momenti. Tanta quippe eſt hominis infirmitas, ita pendet a ſenſibus, ut externis quibuſdam ceremoniis & ſignis, veluti totidem incitamentis, indigeat, quæ pios in Deum affectus foveant, & ſuſcitent; alioquin ſenſim langueſcerent, & extinguerentur. Hinc piiſſimus & elegantiſſimus D. de Fenelon: *N' eſt il pas évident que les hommes attaché aux ſens, & dont la raiſon eſt foible, ont encore plus beſoin d' un ſpectacle pour imprimer en eux le reſpect d' une majeſté inviſible, & contraire à toutes leurs paſſions, que pour leur faire reſpecter une majeſté viſible, qui éblouit leurs foibles jeux, & qui flatte leurs paſſions groſſieres? On ſent la neceſſité du ſpectacle d' une cour pour un Roi, & on ne veut pas reconnoître la neceſſité infiniment plus grande d' une pompe pour le culte divin. C' eſt ne pas reconnoitre le beſoin des hommes.* (*Ibid. pag.* 53. & 54.)

Prob. 4. Orbis univerſus ſupremi Numinis majeſtatem annuntiat, ut in Pneumatologia expoſuimus. Terra cælumque ſuo modo gloriam Dei enarrant. Numquid homo ratione præditus, tot beneficiis a Deo cumulatus, ſolus in rerum natura ſui Auctoris laudes celebrare, reverentiam ipſi debitam præſtare, & ſupremum ejus dominium exterius profiteri abnueret?

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Deus cor ſolum intuetur; ergo ſupervacaneus eſt cultus externus.

Reſp. Diſt. ant. Deus cor ſolum intuetur, tan-

tanquam principium a quo prodeunt actus Religionis, conc. ant. Deus cor ſolum intuetur; tanquam miniſtrum & inſtrumentum actuum Religionis, neg. ant.

Deus quidem cor ſolum intuetur, ut judicet qua intentione, quo conſilio exerceantur actus Religionis; quia fieri poteſt ut externa illius officia non obſerventur, niſi propter vanam pietatis oſtentationem & hypocriſim. Nequaquam vero inde ſequitur velle Deum, ut cor ſolum ſit actuum Religionis veluti miniſter & inſtrumentum. Quæ enim cultum internum jubet divina lex, eadem externum præſcribit, ſiquidem, eo ſublato, ſenſim interiret cultus interior. Præterea ceteros homines a nobis diligi, ac proinde adjuvari Deus præcipit, maxime vero in iis quæ ad ſalutem pertinent, qualis eſt ſincera in Deum pietas. Ad eam igitur alios ſermonibus, documentis, exemplis noſtris excitare debemus: atqui tali munere, ſine corporis miniſterio, & cultu externo, fungi non poſſumus; ergo, &c.

Objic. 2. Deus eos tantum approbat ſui cultores, qui illum in ſpiritu & veritate adorant; ergo rejiciendus eſt cultus externus.

Reſp. Neg. conſeq. Ex eo quod enim Deus in ſpiritu & veritate, id eſt, ſinceris animi affectibus, adorari velit, perperam colligitur rejiciendum eſſe cultum externum: quinimo eum retinendum eſſe longe rectius concluditur. Intimos enim Religionis ſenſus, in quibus ſita eſt adoratio in ſpiritu & veritate, fovet, nutrit, ſuſcitat, tum in nobis, tum in aliis. Natura quippe hominis infirma ſenſuum adminiculo indiget, ipſoque ceremoniarum & rituum apparatu pietas ejus excitatur.

Objic. 3. Deo qui corda ſcrutatur non opus eſt actibus noſtris externis, ut ipſi pateant interiores animæ noſtræ ſenſus; ergo prorſus inutilis eſt cultus externus.

Reſp. Neg. conſeq. Cultum enim externum

non ideo dicimus adhibendum, ut Deo interiores animi noſtri ſenſus innoteſcant, ſed alias ob cauſas. 1. Quia dimidiatus eſſet divinitatis cultus, niſi facultates etiam corporeas, quas a ſupremo Numine accepimus, in ipſius gloriam & laudem impenderemus. 2. Quia, niſi mutuis ſeſe documentis, hortationibus, exemplis ad pietatem excitarent homines, brevi apud eos extingueretur Religionis amor & cognitio. Enim vero ut quaſdam diſciplinas facilius addiſcant, utque ſuis in cognitionibus firmiores ſint, nonne ſolent homines corporeas exercitationes, ſenſuumque adminiculum adhibere? Cur ergo hujuſmodi ſubſidia, ubi de Religione agitur, negligerent? Pudeat recentiores ſophiſtas, in ſcenæ ſpectaculis, quæ mores corrumpunt, approbare magnificos apparatus, dum ſublatum volunt cultum Dei externum, qui eo ſpectat, ut homines ad virtutem exciret.

Objic. 4. Si Deus cultum externum exigeret, eum apud omnes populos uniformem conſtituiſſet, ne cultus diverſitas inter homines fieret diſcordiæ fomes; atqui tamen varius eſt apud varios populos cultus externus; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Deo enim non diſplicet illa rituum varietas, ſuamque habet utilitatem. Aliæ quippe aliis gentibus magis accommodatæ ſunt ceremoniæ, earumque ingenio & conſuetudinibus magis congruunt; ſed nihil habeant indecori neceſſe eſt, nihil ſupremo Numine indigni, nihil quod a cultus interni perfectione alienum ſit. Legitima ergo cauſa eſſe non poteſt hæc rituum diverſitas, cur ſolvatur unitatis vinculum.

Reſponſum autem illud ad eos tantum ritus pertinet, quos Deus nec revelavit, nec præcipit. Cujuſmodi ſunt plurimi in Eccleſia ſapienter inſtituti. Ubi autem agitur de ritu, ſive cultu externo, qui fuit a Deo revelatus & præſcriptus, tunc procul dubio jubenti Deo parendum

dum eſt, & culpandus quiſquis hunc cultum contemnit vel negligit.

CAPUT II.

De Revelatione.

Revelatio eſt veritatis alicujus externa manifeſtatio nobis a Deo facta. De qua tres erunt articuli; in 1. an poſſibilis; in 2. utrum neceſſaria ſit expendemus; in 3. de revelationis divinæ ſignis & notis ſermo erit.

ARTICULUS PRIMUS.

An poſſibilis ſit revelatio.

Contendunt fere omnes Deiſtæ, non poſſe Deum revelare, niſi quod ratio & lumen naturale, poſt exploratam rerum naturam, verum demonſtrant. Idcirco quidquid ratione non aſſequuntur, ac proinde omnia myſteria, rejiciunt, & potuiſſe a Deo revelari pernegant.

PROPOSITIO.

Deus poteſt quoſdam veritates revelare ſupra rationem humanam poſitas, ac proinde earum fidem exigere.

Prob. Cur Deus non poſſet veritates revelare, quæ humanæ intelligentiæ vim ſuperent? an quia nullæ ſunt hujuſmodi veritates? an quia eas manifeſtandi nulla Deo via ſuppetit? an tandem quia contra rationem eſt ea credere, quæ ſupra ipſam poſita ſunt? Porro tria hæc falſa ſunt.

1. Quidem falſum eſt nullas eſſe veritates ſupra rationis humanæ captum poſitas. Plurimas enim in ordine etiam naturali occurrere nemo eſt qui neſciat. Qua de re audiamus illuſtriſſimum Archiepiſcopum Lugdunenſem in

perceleb ri documento paſtorali de Religione : *Tout dans l'univers eſt plein de vérités, qui ſont en même temps indubitables & incompréhenſibles. La lumiere ſi admirable dans ſes mouvemens; l'air, ce fluide ſi agiſſant, & ſi terrible dans la plupart de ſes phénoménes; le feu ſi redoutable dans ſes effets & ſi caché dans ſon eſſence; les principes des élémens, la variété de leurs combinaiſons; le lien qui unit en nous deux ſubſtances ſi différentes, & tant d'autres merveilles de la nature, doivent réprimer la préſomptueuſe confiance de l'eſprit humain, & le convaincre pour jamais de ſa foibleſſe .... Mais ſi dans l'ordre de la nature, il ſe rencontre des barrieres que tous nos efforts ne ſauroient franchir, faut-il s'étonner que dans un ordre plus élevé, qui eſt celui de la révélation, il ſe trouve des vérités au deſſus de notre foible intelligence?* (*Edit. in* 4. *pag.* 135.)

Præterea vel admittendæ ſunt veritates ſupra captum hominis conſtitutæ, vel dicendum erit humanam intelligentiam eſſe veritatis quaſi menſuram, ita ut non alias Deus cognoſcere poſſit veritates, niſi quæ noſtræ rationi ſunt accommodatæ: atqui illud poſterius impium eſt perinde & abſurdum: inde enim ſequeretur divinum intellectum humano non præcellere; ergo 1. falſum eſt nullas exiſtere veritates, quæ rationem humanam ſuperent.

2. Non minus falſum eſt, nullam Deo viam ſuppetere, qua veritates ſupra rationem humanam poſitas, ac ſibi compertas, nobis revelare poſſit. Quis enim, niſi plane deſipiat, eam Deo facultatem auſit denegare, quæ omnibus communis eſt hominibus: atqui nullus eſt homo, qui facultatem non habeat, quas novit veritates aliis manifeſtandi; ergo poteſt Deus plurimas veritates ſibi cognitas, & humanæ rationi impervias, hominibus revelare, ſive per miracula quæ certam faciant ipſius doctrinam, ſive aliis qui nos latent modis.

Præ-

Præterea qui ſummum habet in mentes creatas dominium, iis quidquid ſibi libuerit manifeſtare poteſt: atqui Deus in mentes creatas ſupremum habet imperium; in opus enim ſuum non poteſt non dominari; ergo 2. &c.

3. Tandem falſum eſt contra rationem eſſe ea credere, quæ ſupra ipſam conſtituta ſunt. Quot enim occurrunt veritates, quibus omnes homines, ne exceptis quidem noſtris adverſariis, ſua ratione utentes aſſentiunt, quamvis ipſorum intelligentiam ſuperent? Nonne credunt ipſimet Deiſtæ Deum eſſe æternum, immenſum, liberum ſimul & immutabilem? Atqui tum æternitatis & immenſitatis divinæ naturæ, tum libertatis & immutabilitatis concordia & concentus, omnem humani ingenii vim & ſagacitatem fugiunt. Nonne credunt Deiſtæ arctiſſimam eſſe inter animam humanam & corpus conjunctionem? Atqui tamen in quo ſita ſit intima hæc utriuſque ſubſtantiæ adeo diverſæ ſocietas, ipſos latet Philoſophos: de illius quidem natura ſubtiliter differunt, ſed omnes quæ eam involvunt tenebras non depulerunt. Numquid negant Deiſtæ motum exiſtere? numquid negant ſtupenda materiæ tum electricæ, tum magneticæ phœnomena? numquid negant generari animalia, vegetare plantas? Atqui tamen horum omnium vel natura, vel modus omnes Philoſophorum conatus & perſpicacitatem eludit; ergo vel ſecum turpiter pugnent Deiſtæ, vel fateantur neceſſe eſt, a ratione alienum non eſſe, ea credere, quæ ſupra rationem poſita ſunt.

Præterea ſi quis ab ortu cæcus, aliis hominibus fidem denegaret in his quæ de coloribus referunt, nonne ridiculus haberetur? atqui tamen nullas colorum ideas habet. Varios igitur exiſtere colores non credit, niſi quia id ipſi teſtantur alii homines. Jam vero ſi ille cæcus aliis hominibus fidem adjungere debeat, in iis quæ mente non percipit, quis ſanus negaverit fidem

dem Deo eſſe adhibendam, cum ea dogmata revelat, quæ hominis intelligentiam fugiunt? Si hominum teſtimonio credere oporteat, quanto magis iis veritatibus firmiter adhærendum eſt, quæ ipſo Dei teſtimonio nituntur, quamvis rationis noſtræ limites prætergrediantur?

Denique fatetur Genevenſis Philoſophus, humanæ intelligentiæ prorſus inacceſſam eſſe divinam eſſentiam, & tamen fidem ſuam ita profitetur: *Moins je le conçois, plus je l'adore. Le plus digne uſage de ma raiſon eſt de m'anéantir devant Dieu.* (*Emile, tom. 3. pag.* 88.) Ergo 3. contra rationem non eſt ea credere, quæ ſupra ipſam poſita ſunt; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Deus non poteſt ſibi contradicere: atqui ſibi contradiceret, ſi dogmata ſupra rationis captum poſita revelaret, illorumque fidem exigeret; ergo Deus non poteſt, &c.

Reſp. Neg. min. Nedum ſibi contradicat Deus, myſteria revelando quorum fidem exigat, ſuam contra ſapientiam demonſtrat. Duobus enim potiſſimum vitiis laborat genus humanum, ſuperbia vanaque curioſitate. Hinc ortum habuerunt primorum parentum lapſus & infelicitas. Inde manarunt tot errores, in quos turpiter impegerunt ipſimet Philoſophi: his autem vitiis efficacius mederi ingenitamque homini ſuperbiam reprimere non potuit Chriſtus, quam myſteria rationi inacceſſa revelando; quam ſtultam faciendo hujuſce mundi ſapientiam, ita ut in Religione docti & indocti pares eſſent ac æquales.

Præterea Chriſtus, dum myſteria ab humano ingenio remotiſſima nobis credenda propoſuit, exercendæ fidei noſtræ, Deoque integrum obſequium exhibendi locum dedit. Etenim ſi nihil in Religione eſſet quod non intelligeremus, noſtram quidem obedientiam teſtari poſſemus, præ-

præceptis rationi accommodatis parendo; ſed nulla fuiſſet occaſio intellectum noſtrum fidei jugo ſubjiciendi, ſuperbamque rationem auctoritati divinæ ſubmittendi; quod præſtamus, cum Deo revelanti fidem obſequioſe adjungimus.

Denique non hominis ſuperbiam duntaxat retundit revelatio, ſed etiam humani ingenii erroribus occurrit, tutamque viam indigitat, ut ſic docet Archiepiſcopus Lugdunenſis. (*Inſtruct. paſt. édit. in* 4. *pag.* 139.) *Elle regle, elle étend, elle épure ſes lumieres; elle l'arrache au choc d'une multitude d'opinions fauſſes & contraires qui l'agitent; elle lui montre avec aſſurance la route qu'il doit tenir; elle le conduit au port, en lui épargnant même la crainte du naufrage*; ergo revelatio non contradictionem in Deo probat, ſed ſummam illius ſapientiam.

Inſtab. Ille ſibi contradicit qui ex una parte rationem concedit, ex altera vero parte rationis uſum interdicit: atqui ſic ageret Deus myſteria proponendo credenda; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Dum enim jubet Deus fidem myſteriis a ſe revelatis adhiberi, id unum præcipit, ut nempe ſuo auctori ſummæque veritati ſeſe ratio ſubjiciat: atqui in ea re nihil eſt quod prudentem rationis uſum adimat; in eo quippe præſertim ſitus eſt legitimus rationis uſus, ut ſupremo ſuo domino docilem & obſequioſam ſeſe præbeat, cum aliquid ab ipſo revelatum eſſe certo noverit. Iſtæ ſunt itaque rationis partes, ut argumenta externa, quibus nititur revelatio, facta ſcilicet, teſtimonia, miracula excutiat. Ubi autem, iis diligenter excuſſis, compertum habuerit Deum aliquid revelaſſe, tunc illud, repulſa qualibet dubitatione, amplecti debet, non vero intimam myſteriorum naturam ſibi imperviam rimari curioſius. Ratio enim bene comparata, poſtquam exiſtere revelationem demonſtravit, hominem ſic alloquitur: *Ecoutez un maître qui m'eſt ſupérieur, & n'*

n' écoutez que lui. C' eſt par mon ordre que vous me quittez, & c' eſt ma lumiere qui vous conduit à une autre. Il eſt juſte que je ſacheſi c' eſt Dieu qui révele ſes volontés & ſes myſteres, parce que je ne dois croire que lui, & ne me fier qu' à ſa vérité; mais quand je ſuis certaine que c' eſt lui parle, je n' ai plus qu' a l' écouter & à me taire. (*Duguet, Principes de la foi, tom. 1. chap. 1.*)

Objic. 2. Deus nihil poteſt revelare contra rationem: ſed quæ ſupra rationem conſtituuntur, ſunt etiam contra rationem; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Quia illud dicitur ſupra rationem poſitum, quod a mente humana cognoſci non poteſt: illud vero eſt contra rationem cujus percipitur repugnantia: atqui hæc duo maxime diſcrepant. In priori enim non occurrit niſi defectus perceptionis, in poſteriori autem adeſt manifeſta repugnantiæ perceptio: atqui immane eſt diſcrimen inter ea, quæ tantum non percipiuntur, & ea quorum clare percipitur repugnantia, ut per ſe patet.

Inſtab. cum Baylio: Quod ſupra rationem eſt non videtur rationi conſentaneum: ſed quidquid non videtur rationi conſentaneum ipſi adverſatur; ergo quod ſupra rationem eſt, ipſi adverſatur.

Reſp. 1. Diſt. maj. Quod ſupra rationem eſt, non videtur rationi conſentaneum, id eſt, mentis humanæ captui accommodatum, conc. id eſt, videtur rationi contrarium, neg.

Revera quod ſupra rationem poſitum eſt, non videtur mentis humanæ captui accommodatum; ſed non idcirco videtur rationi contrarium: ad illud enim requireretur clara rei perceptio: atqui hæc locum habere non poteſt in his quæ ſupra rationem ſunt conſtituta, ut patet; ergo, &c.

Reſp. 2. Neg. min. Nempe aliquid eſſe contra rationem eo ipſo, quod non videatur ipſi conſentire. Illud enim ſolum dici poteſt ratio-

ni

ni adverſum cujus percipitur repugnantia: atqui licet aliquid non videatur rationi conſentaneum, non tamen idcirco percipitur repugnare; inde enim tantummodo colligi poteſt claram non affulgere rei perceptionem.

Inſtab. Ea ſunt contra rationem, quæ impugnantur argumentis inſolubilibus: atqui myſteria, &c. ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Si illa argumenta ex evidenti contradictione oriantur, conc. ſi ex intelligentiæ noſtræ limitibus & myſteriorum ſublimitate, neg. maj. diſt. parit. min.

Porro quæ myſteriis opponuntur argumenta, ex anguſtis intelligentiæ noſtræ limitibus, & myſteriorum altitudine inacceſſa ortum habent; minime vero ex evidenti contradictione. Eam quippe in dogmatibus revelatis adeſſe quo pacto ſtatui poteſt? Ad illud recte pronuntiandum neceſſe foret, ut liquidas myſteriorum ideas haberemus. Quis autem Deiſtarum dicere auſit ſibi claras affulgere myſteriorum notiones, eaque a ſe percipi? Non illud etiam dixerit quivis Chriſtianus; alioqui jam tollerentur myſteria, quorum ea eſt natura, ut intelligentiam humanam prorſus ſuperent. Rationem hanc ſic eleganter exponit clariſſimus Lugdunenſis Archiepiſcopus in opere eximio jam laudato: (*pag.* 137.) *Pour aſſurer qu'il y a de la contradiction dans nos myſteres, il faudroit voir clairement l'incompatibilité des termes qui les conſtituent, avoir de ces termes des idées diſtinctes & complettes; pour en avoir ces idées, il faudroit que l'eſprit abaiſſat les objets juſqu' à ſon niveau, ou qu' il s' elévât juſq' à la région où ils ſont placés. Or, qui oſera prétendre avoir ſur chaque myſtere des notions aſſez claires, aſſez parfaites pour en connoître le fond & les rapports? Ceux qui jugent que les idées refermées dans nos myſteres, ſont inſociables & incompatibles, jugent donc de ce qu' ils ne voient pas, de ce qu' ils ne connoiſſent pas. Ils abu-*

abuſent donc de leur raiſon ſous le vain prétexte d'en conſerver l'uſage.

Objic. 3. Myſteria enuntiantur verbis ſenſu vacuis, & quibus nullæ reſpondent ideæ. Sic in iſta propoſitione quæ Trinitatis myſterium exprimit. *Tres ſunt Perſonæ in unicâ Dei ſubſtantia*, mera audiuntur verba, prætereaque nihil: atqui hujuſmodi myſteria Deum revelare dedeceret; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Myſteria vocibus exprimuntur quibus non reſpondent quidem claræ rerum ideæ; alioquin evaneſcet myſterium: non idcirco tamen verba hæc meri ſunt ſoni, omni ſenſu vacui. Multa enim de myſteriis enuntiantur quibus fidem adjungere poſſumus, imo & debemus, poſita revelatione. Ex. gr. ex revelatione myſterii SS. Trinitatis facile cognoſcitur in Deo unicam eſſe naturam, tres vero Perſonas, licet quo pacto illud fiat, conjicere non poſſimus, niſi modo prorſus imperfecto, ex quadam ſcilicet cum rebus creatis analogia. Sic v. g. intellectus, voluntas, memoria unam eamdemque animam conſtituunt, nec tamen una eademque ſunt proprietas; pariter, inquiunt Theologi, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, unus idemque Deus ſunt, nec ideo dici debent una eademque Perſona.

ARTICULUS II.

De neceſſitate Revelationis.

DUplici ſenſu neceſſaria dici poteſt revelatio, nimirum *ſimpliciter*, quando ſine illius adminiculo veritas aliqua nullo modo detegi poteſt. Quo ſenſu revelatione nobis opus eſt ad cognoſcenda Religionis Chriſtianæ myſteria; ſiquidem ſupra rationis captum ſunt poſita. Revelatio dicitur neceſſaria *ſecundum quid*, cum abſque illius ope veritas quidem poteſt detegi,

ſed

ſed nonniſi difficillime. Utrum autem revelatio ſit homini neceſſaria *ſimpliciter*, an *ſecundum quid*, ad cognoſcenda omnia legis naturalis præcepta, non leviter diſputatur; ſed, omiſſa hujuſmodi controverſia, ſatis erit oſtendere quantum revelatione indigeret genus humanum.

PROPOSITIO.

Ad cognoſcenda plurima legis naturalis præcepta, revelatione ſummopere indigebat genus humanum.

Prob. EO genus humanum indigebat auxilio, ſine quo non barbaræ ſolum gentes, ſed etiam populi cultiſſimi & præſtantiores Philoſophi legem naturalem maxima ex parte ignorarunt: atqui ſine revelatione, non barbaræ ſolum gentes, ſed, &c. multa enim licita exiſtimabant quæ vetat & horreſcit lex naturalis. Sic licitum erat apud Perſas proprias matres in matrimonium ducere; apud Heliopolim in Ægypto, mulieribus uti promiſcue; apud Hircanos, parentes ſuos feris dilaniandos tradere; apud Græcos & Romanos, feralibus gladiatorum ſpectaculis oculos paſcere, & liberos quos nutrire renuebant, interimere: atqui hæc omnia aliaque plurima, juxta communem exiſtimationem, prohibet lex naturalis. Præterea plurima ſunt legis naturalis præcepta, quorum cognitio genuinam Dei notionem ſupponit: atqui populi etiam litteris & artibus maxime perpoliti, in effingenda Divinitatis notione turpiter errarunt, ut nemo neſcit.

Ipſimet Philoſophi antiquitatis inſigniores, famoſi illi generis humani præceptores, circa graviſſima quædam legis naturalis principia non minus cæcutiebant. Ut enim de Epicuri grege, aliiſque diſſolutioribus Philoſophis taceam, Plato, divinus ipſe Plato, uxorum communitatem, barbaramque infantium, qui vel defor-

formes erant, vel numero parentibus oneroſi, expoſitionem permittit; nudos utriuſque ſexus homines digladiari jubet; ebrietatem in Bacchi honorem præcipit; Ariſtoteles turpes & laſcivas Deorum imagines approbat, infantes male conformatos occidere licitum facit. Stoici, omnes ſtuprum admittunt: atqui hæc omnia quantum a lege naturali aliena ſint, nemo non intelligit.

Porro ſi & populorum cultiſſimorum & Philoſophorum præſtantiorum ratio ſibi permiſſa, circa graviſſima juris naturalis præcepta adeo caligavit, quis negaverit genus humanum, cujus partem maximam conſtituunt rudes & imperiti, revelatione ſummopere indiguiſſe? Unde incredulos ſic urget Archiepiſcopus Lugdunenſis:

Quelle ſera donc la reſſource des incrédules pour combattre l'autorité d'une expérience; qui eſt celle de toute le terre, qui a duré quattre mille ans, & qui atteſte ſi hautement la neceſſité de la révélation? Diront-ils que la lumière naturelle peut aujourd'hui, ce qu'elle n'a pû dans le plus beaux âges du monde; qu'elle eſt plus vive, plus pénétrante dans le vulgaire de nos jours, dans ces hommes qui n'ont ni le temps, ni les moyens de s'appliquer a la recherche de la vérité, qu'elle ne le fut dans les plus grand Philoſophes de l'antiquité profane, dans ces ames éminentes où la ſageſſe humaine parut dans tout ſon éclat? Prétendront-ils que le peuple, c'eſt-à-dire, la totalité morale du genre humain, peut ſe former à lui-même un corps de doctrine certain, entier & lié, tandis que ces hommes célebres n'eurent que des débris, des opinions flottantes, quelques vérités éparſes & mutilées, ſans ſuite, ſans motif, ſans autorité? (Ibid. pag. 40.)

Immortales igitur gratiarum actiones Deo perſolvantur, quod ſplendida revelationis luce, denſiſſimas depulerit tenebras, in quibus ſine tanto beneficio jaceremus.

Sol-

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Quod Deus homini conceſſit, ut legis naturalis præcepta cognoſceret, ad ea detegenda non indiget revelatione: atqui Deus rationem homini conceſſit, ut, &c. ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Quod, &c. non indiget revelatione, ſi integrum ſit, conc. ſi peccato corruptum fuerit, neg. diſt. pariter min.

Itaque ratio in duplici ſtatu ſpectari poteſt, ſcilicet quatenus integra, & Adamo innocenti indita, & quatenus eſt in homine lapſo, corrupta, præjudiciis & cupiditatibus impedita. Fateor equidem rationem ſanam, qualis erat in homine innocente, ad detegenda quæcumque legis naturalis præcepta, abſque nova revelatione idoneam fuiſſe; ſed longe aliter ſe habet ratio in homine lapſo, a primæque dignitate dejecto. Infirma quippe eſt, variis præjudiciis & cupiditatibus obnubilata; non mirum eſt igitur, eam ſine revelationis ſubſidio illis veritatibus detegendis imparem eſſe, quarum cognitio ipſi plana & facilis erat, cum eſſet integra. Ad æſtimandas enim rationis vires, nullum adhiberi poteſt certius argumentum, quam generalis quadraginta ſæculorum, quæ revelationem anteceſſere, experientia: atqui omnes populi, ſi Judæos excipias, quibus illuxerat revelatio, per longum illud temporis ſpatium, circa legem naturalem graviter errarunt, ut teſtantur indubitata hiſtoriæ monumenta; ergo in hominis lapſi ratione non ſatis erat præſidii, ut per eam ſolam ad ſufficientem legis naturalis cognitionem perveniret.

Neque dixeris nos, ubi agitur de ſtabilienda revelationis neceſſitate, jam ad revelationem ipſam confugere, & Catholicæ de originali peccato doctrinæ opem implorare.

Hæc enim duo tantum affirmamus; 1. creaturam rationalem, nonniſi integram & innocentem e Creatoris manibus prodire potuiſſe; 2. in

præ-

præſenti ſtatu intellectum hominis erroribus & præjudiciis obſcuratum, voluntatem vero cupiditatibus depravatam eſſe. Primum caput invicte demonſtrat quæ in nobis ſuperſtes fuit idea entis ſummè perfecti, alterum vero teſtantur ſenſus intimus & quotidiana experientia. Unde colligimus deploranda quadam rerum converſione naturam humanam fuiſſe in deterius mutatam. Quæ quidem luctuoſa rerum converſio, cum neque divina voluntate, neque ineluctabili fato, neque fortuito caſu contingere potuerit, ſupereſt ut ſuam a libertatis abuſu ducat originem: verum quomodo, & quibus de cauſis evenerit iſte libertatis abuſus; in omneſque homines infelici contagio tranſierit, hoc declarare, hoc definire ſolius eſt revelationis.

Objic. 2. Tam poſſunt ſemperque potuerunt homines ſolius rationis ope omnia legis naturalis officia detegere, quam hodierni Deiſtæ qui revelationem rejiciunt: atqui hodierni Deiſtæ omnia norunt legis naturalis præcepta, &c. ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. quæ duplici ſub reſpectu falſa eſt. 1. Nedum omnia legis naturalis officia cognoſcant Deiſtæ, plurima & quidem graviſſima ignorant. Alii enim internum, alii externum Dei cultum rejiciunt; alii omnia habent perinde licita, & virtutis ac vitii diſcrimen negant.

2. Non ſoli rationi, ſed etiam revelationi; quam ingrati inſectantur, maxima ex parte debent noſtrates Deiſtæ, quam habent legis naturalis notitiam. Revelationis enim lux ſplendida denſiſſimas Paganiſmi tenebras diſcuſſit, legiſque naturalis præcepta ſub hominum oculis poſuit. Nunc igitur, prælucente revelatione, multo facilius eſt ea detegere, quam caliginoſis illis temporibus, in quibus ſibi relicta fuit ratio. Veritatem hanc demonſtrant illarum regionum incolæ, quibus Religionis chriſtianæ lumen nondum illuxit. In quantis enim ignorantiæ tenebris jacent miſerabiliter!

Objic.

Objic. 3. Vel Philoſophi veteres, quoſcumque potuerunt conatus adhibuere ad cognoſcenda legis naturalis præcepta, vel non: ſi prius, concedi debuit revelatio hominibus, quod in ſe erat, facientibus; ſi poſterius, veterum Philoſophorum experientia probari non poteſt genus humanum ad legis naturalis cognitionem aſſequendam revelatione tantopere indiguiſſe; ſiquidem humana ratio majores potuiſſet vires exercere.

Reſp. Veteres Philoſophi eam omnem adhibuerunt contentionem, quæ erat penes rationem naturalem, in ſtatu præſenti ſpectatam, id eſt, præjudiciis & cupiditatibus impeditam & obnubilatam; ideoque ex tantis conatibus, per longam ſæculorum ſeriem inanibus, æſtimari poteſt quid valeant vires naturæ humanæ ſibi derelictæ. Verum ne concludas hujuſmodi conatibus debitam fuiſſe revelationem, gratuitum quippe eſt Dei beneficium, quemadmodum & gratia qua flectimur ad bonum. Præterea hominis ſibi permiſſi labor ad cognoſcenda legis naturalis officia, ſemper aliquid vitii ſibi adjunctum habet, quod divinis auxiliis affert obſtaculum. Veteres enim Philoſophi inanis gloriæ cupiditati, potius quam veræ ſolidæque doctrinæ ſtudio, ſerviebant. Qua in re non paucos habent imitatores, ſi fides adhibeatur huic Civis Genovenſis teſtimonio:

Où eſt le Philoſophe, qui pour ſa gloire ne tromperoit pas volontiers le genre humain? où eſt celui qui, dans le ſecret de ſon cœur ſe propoſe un autre objet que celui de ſe diſtinguer? pourvu qu'il s'éleve au deſſus du vulgaire, pourvu qu'il efface l'éclat de ſes concurrens, que demande-t-il de plus? l'eſſentiel eſt de penſer autrement que les autres. Chez les croyans, il eſt athée; chez les athées, il ſeroit croyant. (*Emile, liv. 4.*)

Obj. 4. Si revelatione tantopere indigerent homines, hæc univerſalis eſſe deberet: atqui tamen non ita eſt; ergo, &c.

Reſp.

Reſp. Neg. maj. Cum enim Deus in diſtribuendis ſuis beneficiis omnino ſit liber, ſua judicia, ubi, quando, quomodo & quibus vult, maniſeſtat, dum alios ſuis permittit tenebris. Quod autem Deus eas cæleſti lumine non depellat, hominis vitio tribuendum eſt. Quamvis enim gratia quæ animos illuſtrat, homini ſit indebita, & donum miſericordiæ divinæ gratuitum, hanc tamen illis nunquam denegat, qui nullum ſua culpa opponunt obicem. *Deus enim ſemper paratus eſt*, inquit Auguſtinus, *dare ſuam lucem nobis; ſed nos non ſemper parati ſumus accipere. . . . cum rerum corporalium cupiditate obtenebramur.* (*Lib.* 2. *de Serm. Domini in monte*, *cap.* 3.)

Denique dum ſic diſputant Deiſtæ, non attendunt ſuum in ſeipſos retorqueri poſſe argumentum. Non diffitentur enim omnibus neceſſarium eſſe, ut verum agnoſcant Deum: atqui tamen Deus occultiſſimo, ſed juſto conſilio, permittit ut homines plurimi verum Deum ignorent.

ARTICULUS III.

De Revelationis divinæ ſignis & notis.

Cum inter ſigna quæ veram probant revelationem, principem locum obtineant miracula & Propheriæ, de utriſque duplici in paragrapho diſſeremus.

PARAGRAPHUS I.

De Miraculis.

Inquirendum 1. quid ſit miraculum; 2. an poſſibile; 3. quænam ſit illius cauſa efficiens; 4. quid valeat in genere probationis.

SECTIO I.

Quid ſit miraculum.

MIraculum latine a *mirando* dicitur, quia hoc nomine generatim intelligi ſolet ſtupendus quidam effectus qui admirationem moveat. Dividitur in miraculum proprie & ſtricte dictum, quod totius naturæ creatæ vires ſuperat; & in miraculum improprie & late ſumptum, quod vires quidem humanas excedit, non vero vim quamlibet creatam, neque Spirituum angelicorum virtutem ſuperat. Hujuſmodi ſunt quædam prodigia a dæmonibus patrata. Quid autem de miraculi proprie dicti natura, cum pleriſque Theologis ſentiamus, aperiet ſequens

PROPOSITIO.

Miraculum proprie dictum videtur definiendum, eventus quidam ſtupendus, totius naturæ creatæ vires & ordinem ſuperans.

Prob. 1. QUia ſic miraculum a quolibet alio opere diſcriminatur. Cum enim dicitur opus totius naturæ creatæ vires & ordinem ſuperans, differt, tum a quibuſdam phœnomenis, quæ juxta certas naturæ leges contingunt, quales ſunt eclipſes; tum a fallacibus præſtigiis; tum a nonnullis operibus quæ, licet ſtupenda ſint, ſolique Deo propria, miraculis tamen non annumerantur, quales ſunt creatio, motus ſiderum conſtantes: hæc enim fiunt juxta ordinem a Providentia conſtitutum.

Prob. 2. Idem ferendum eſt judicium de veris quibuslibet miraculis, ac de iis quæ a Chriſto edita ſunt; ſiquidem abſurdum eſt vera admittere miracula quæ diverſam habeant naturam: atqui Chriſti miracula totius naturæ creatæ vires ſuperabant, totidemque erant potentiæ infi-

rium Joſue; ſi morbi ex ſe contumaces ad ſolum hominis nutum & juſſum ſubito depellantur, ut toties a Chriſto factitatum eſt; tunc confidenter aſſerere poſſumus, hujuſmodi effectus generalibus naturæ legibus derogare, totidemque eſſe miracula proprie dicta; ergo, &c.

Inſt. Ut nobis conſtet aliquod exiſtere miraculum, compertas habeamus neceſſe eſt omnes & ſingulas naturæ leges & vires: atqui cognitionem hanc non poſſumus aſſequi; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Namque ad tuto pronuntiandum aliquos effectus vera eſſe miracula, ſatis eſt ut conſtantes quaſdam naturæ leges exploratas habeamus, cum quibus conciliari non poſſint hujuſmodi effectus; ſatis eſt, inquam, ut nonnulla ſint facta, quæ ex ipſo rationis lumine & communi hominum judicio, perpetuaque experientia, viribus naturæ tribui nequeant; ſic quamvis definiri non poſſit, quid in ſanandis morbis valeat hominum induſtria, tamen abſque temeritate affirmamus eos ſolo verbo & nutu, ac ſine ulla mora ſanari non poſſe.

Inſt. Forſan naturæ leges quædam incognitæ eos operantur effectus quos appellamus miracula; ergo ut cognoſcamus exiſtere aliquod miraculum, compertas habeamus neceſſe eſt omnes & ſingulas naturæ leges.

Reſp. Neg. ant. Mera figmenta ſunt leges illæ nobis incognitæ, quæ generalibus & notiſſimis naturæ legibus adverſantur. Dum enim leges omnes nobis perſpectæ, mortuo, v. g. ſuſcitando ſunt impares, gratis ſupponuntur aliæ leges, quæ per multa annorum millia ſteriles & otioſæ, mortuo vitam reſtituerent, & deinde in primævam ſuam inertiam relaberentur. Ii ſunt legum naturalium characteres, ut ſint conſtantes & uniformes, ut iiſdem in circumſtantiis phyſicis eoſdem pariant effectus. Niſi res ita ſe haberet, a fine quem ſibi propoſuit, aberraſſet legum naturalium inſtitutor Deus. Voluit enim ut creaturæ rationales diligentiam, induſtriam

certo adhibere poſſent, futura quædam proſpicere, nonnullos effectus ex quibuſdam ſuis actionibus confidenter expectare: atqui niſi naturæ leges eſſent conſtantes & uniformes deficerent in creaturis prudentia ſeu conſilium; omnia eſſent incerta, inſtabilia, dubia; faceſſant igitur leges illæ incognitæ, quæ finguntur in naturæ ſinu deliteſcere, & quæ in ſubitos quoſdam effectus erumpunt legibus generalibus oppoſitos.

Inſt. In ſtudio naturæ, inquit Rouſſeau, novi in dies fiunt progreſſus, humanaque perficitur induſtria. Repertum eſt remedium, cujus ope aquis demerſi ad vitam revocantur. Jam inquiritur quoddam artificium, per quod ſuſpendio interempti a mortuis ſuſcitentur. Quis noverit an non in aliis mortis generibus detegendum ſit arcanum aliquod, cujus auxilio vita iis reſtituatur qui mortui exiſtimabantur? (3. *Lettre de la Montagne*) ergo poſſunt eſſe in natura leges quædam incognitæ, quæ eos operentur effectus quos miracula vocamus.

Reſp. ineptas eſſe hujuſmodi cavillationes, nec poſſe cuiquam fucum facere. *On vient*, inquit Auctor, *de découvrir le ſecret de reſſuſciter de noyés*. Optime; ſed ubinam eſt iſtud remedium? ſi quod noveris, illius cognitionem ne Patriæ invideas, tibi ſtatuam pro tanto beneficio eriget. Me quidem non latet convaluiſſe homines in aquam lapſos, & in quibus interclufa erat reſpiratio; ſed ridicule prorſus diceretur, homines in aquis vere mortuos ad vitam rediiſſe. *On a déja cherché le ſecret*, pergit Auctor, *de reſſuſciter les pendus*. Quid inde? numquid repertum fuit? Denique ita concludit noſter Philoſophus: *Qui ſait ſi dans d' autres genres de mort, on ne parviendra pas à rendre la vie à des corps, qu' on en avoit cru privés?* Egregiam ſane conſecutionem. Quid aliud eſt, quam ſi diceret vitam eſſe iis reſtituendam, qui eam nondum amiſerant? Apage ineptas hujuſmodi argutias!

SE-

SECTIO II.

Utrum poſſibile ſit miraculum.

HUic quæſtioni ut fiat ſatis, ſit

PROPOSITIO.

Miraculum eſt poſſibile.

Prob. 1. Illud poſſibile eſt, quod nullam involvit repugnantiam: atqui miraculum nullam, &c. Si quæ enim eſſet, vel ſtaret ex parte ſubjecti, ſive creaturæ; vel ex parte cauſæ efficientis, ſive Dei: atqui neutrum dici poteſt; non quidem primum; ad illud quippe ſatis eſt ut creatura idonea ſit recipiendæ actioni divinæ & ſpeciali, quæ ex generalibus naturæ legibus ortum non habeat: atqui creatura idonea eſt recipiendæ, &c. Deo enim non minus ſubjicitur, quam lutum figulo. Nonne poteſt cadaver, ita volente Deo, eamdem recipere partium organicarum diſpoſitionem, eamdem nervorum flexionem & mollitiem, eamdem humorum temperationem, eumdem cordis calorem, eumdem ſanguinis motum, eamdem denique vitam quam prius habuerat? Qua in re nihil occurrit quod divinam ſuperet potentiam. Præterea materia, utpote iners & otioſa ad motum & quietem, ad hunc vel illum motus gradum, ad hanc vel illam figuram partiumque diſpoſitionem plane eſt indifferens; poteſt igitur hunc vel illum motum accipere, hanc vel illam formam induere, hanc vel illam partium diſpoſitionem ſuſcipere, ſicque ad miraculum accommodari: illud enim ſæpe non ſitum eſt, niſi in alio, quam qui prius erat, partium materiæ ſitu & ordine, in alia membrorum & fibrarum diſpoſitione, quæ divinæ potentiæ, non autem naturæ ſit opus; ergo 1. nul-

nulla eſt in miraculo repugnantia ex parte ſubjecti.

2. Neque ex parte cauſæ efficientis, ſive Dei. Qui enim poteſt ſuum ad nutum naturæ corporeæ leges ſuſpendere, interrumpere, mutare, certe poteſt miraculum efficere: atqui Deus pro ſuo arbitrio poteſt, &c. Siquidem eas ita libere condidit, ut alias diverſas inſtituere potuiſſet; ergo 2. miraculum ex parte cauſæ efficientis, ſive Dei, nullomodo repugnat; aliunde neque ex parte ſubjecti, ſive creaturæ; ergo, &c.

Prob. 2. ex populorum conſenſu: Nullus eſt populus qui ſuæ Religioni ut auctoritatem conciliaret, in ipſius gratiam miracula non allegaverit, ut conſtat ex hiſtoria: atqui prius eſt miracula credere poſſibilia, quam ea ſibi vindicare: omnibus ergo populis perſuaſum fuit poſſibile eſſe miraculum. Quæ veritas adeo perſpicua eſt, omnibuſque obvia, ut Scriptor ipſe Genevenſis in opere cui titulus, *Lettres de la Montagne*, licet Religionis cujuslibet revelatæ hoſtis inſenſiſſimus, eam ſic profiteatur: (*pag.* 132.) *Dieu peut-il faire des miracles, c'eſt-à-dire, peut-il déroger aux loix qu'il a établies? Cette queſtion ſérieuſement traitée, ſeroit impie, ſi elle n'étoit abſurde. Ce ſeroit faire trop d'honneur à celui qui la réſoudroit négativement, que de le punir; il ſuffiroit de l'enfermer. Mais auſſi quel homme a jamais nié que Dieu pût faire des miracles?*

Objic. Deus per miracula generalibus naturæ legibus derogaret: atqui hæc derogatio non eſt poſſibilis; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Deus enim iis legibus derogare poteſt, quas libere inſtituit: atqui Deus generales naturæ leges libere inſtituit; non minus enim libere eas condidit, quam ipſum mundum qui hujuſmodi legibus regitur.

Inſt. Derogatio quæ in Deo vel ignorantiam vel levitatem argueret, ipſi non eſt poſſibilis: atqui derogatio generalibus naturæ legibus in Deo,

Deo, &c. vel enim Deus prævidit cauſam propter quam fieret hæc derogatio, vel non; ſi prius, inconſtantiæ; ſi poſterius, ignorantiæ eſt accuſandus; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Deus ſcilicet & leges generales, per quas orbem univerſum erat moderaturus, inſtituit, ſimul & ab iis quoſdam caſus ſpeciales excipere ab æterno voluit: atqui in ea rerum diſpoſitione, nequidem leviſſima eſt ignorantiæ & levitatis umbra. Quis enim Principem vel ignorantiæ, vel inconſtantiæ accuſaverit, ſi ubi legem aliquam ſtatuit, decernat ſimul ſe nolle, eam in his vel illis circumſtantiis obligare?

Inſt. Leges naturæ ſunt ipſamet Dei decreta: atqui decretis divinis nullomodo derogari poteſt; ergo nec legibus naturæ.

Reſp. Neg. maj. Leges naturæ divinis quidem decretis, ſive divina voluntate, poſitæ ſunt & inſtitutæ, ſed ab iis omnino diſtinguuntur. Se habent enim ad voluntatem divinam, ut effectus ad cauſam: atqui effectus a cauſa ſecernitur; ergo leges naturæ a divinis diſcrepant decretis. Cum igitur hujuſmodi leges interruptionem aliquam ab æterno præſtitutam patiuntur, mutatur effectus, non vero decretum divinum.

SECTIO III.

De miraculorum cauſa efficiente.

CAuſa efficiens vel eſt *principalis*, cum ſcilicet propria virtute & auctoritate effectum producit; vel *inſtrumentalis*, quando nempe alterius nomine & aliena virtute quidpiam operatur.

PROPOSITIO.

Deus ſolus eſt cauſa efficiens principalis miraculorum.

Prob. 1. Miraculum proprie dictum eſt opus inſolitum, totius naturæ creatæ vires ſuperans: atqui talis operis ſolus Deus eſſe poteſt cauſa efficiens principalis. Ad producendum enim hujuſmodi effectum, neceſſe eſt conſuetas naturæ leges ſuſpendere & interrumpere: atqui illud ſolius Dei proprium eſt, cum ſolus naturæ leges inſtituerit, ſupremuſque ſit earum Dominus. Hinc Pſaltes Regius grandia deſcribens miracula quæ in populi ſui gratiam Deus olim ediderat, ſic exclamat attonitus: *Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es Deus qui facis mirabilia.* (*Pſal.* 76. *v.* 14. & 15.) ---- *Benedictus Dominus Deus Iſrael qui facit mirabilia ſolus.* (*Pſal.* 71. *v.* 18.) Ergo, &c.

Prob. 2. ex communi hominum ſenſu. A quo enim miracula poſcunt? nonne a Deo? cuinam grates rependunt, poſtquam ea impetrarunt? nonne Deo? ſic affectos eſſe homines probat univerſalis omnium temporum & religionum experientia. Ad Deum recurrit Judæus, ut obtineat miracula; ad Deum recurrit Chriſtianus; ad ſua Numina recurrit Paganus. Deo miraculorum auctori gratias agit Judæus, agit Chriſtianus, ſuis Numinibus agit Paganus: atqui generalis hæc conſuetudo demonſtrat, quam alte omnium animis inſideat ea perſuaſio, Deum ſolum eſſe miraculorum cauſam efficientem.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Mera creatura poteſt eſſe effectus finiti cauſa phyſica & efficiens: atqui miraculum, etiam proprie dictum, eſt effectus finitus; ergo, &c.

Reſp.

Reſp. 1. Neg. maj. utpote generaliorem: cauſa enim finita non poteſt quemlibet effectum exſe limitatum producere; ſed eum tantum qui ipſius naturæ eſt accommodatus, & qui intra poteſtatis illius fines continetur. Sic homo ea nequit efficere, quæ Spiritus angelici propria ſunt. Deus ſcilicet omnium conditor, rei cujuslibet creatæ vim & efficaciam certos intra limites coercuit, quos tranſilire non poteſt; eo fere modo quo ſingulis corporis humani membris proprias diſtribuit functiones, ultra quas nihil valent; ergo etiamſi miraculum eſſet effectus finitus, inde perperam concluderetur huic producendo parem eſſe creaturam.

Reſp. 2. Diſt. min. Miraculum eſt effectus finitus quoad ſubſtantiam, conc. min. quoad modum, neg. min.

Itaque duo ſunt in miraculo ſpectanda, *ſubſtantia* nimirum & *modus*. Subſtantia eſt res ipſa per miraculum effecta, qualis eſt vita mortuo reddita. Modus eſt ratio qua res per miraculum efficitur. Subſtantia quidem miraculi in ſe finita eſt; quidquid enim eſt infra Deum, non poteſt non eſſe limitatum; at modus quo efficitur, eſt infinitus, vimque omnem creatam ſuperat. Nam modus ille in eo poſitus eſt, quod effectus ex ſolo voluntatis imperio prodeat, & abſque ullius creaturæ ope, quæ aliquam cum eo proportionem habeat; atqui modus ille agendi eſt infinitus, ſupremumque demonſtrat in creaturam dominium quod ſoli Deo competit.

Inſtab. Modus miraculi in eo conſiſtit, quod effectus, v. g. morbi ſanatio, repente fiat: atqui in eo nihil eſt quod Angeli virtutem naturalem, imo & ipſius hominis induſtriam ſuperet, ut ſatis frequens docet experientia; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Modus enim miraculi non in eo tantum ſitus eſt, quod effectus ſtatim prodeat, ſed maxime in eo quod fiat ſine cauſarum naturalium influxu, qui aliquam cum eo proportionem habeat. Itaque effectus

celeritas aliquando miraculum demonſtrat, aliquando non. Sic v. g. cum aliquis febre vexatus, urgente incendio, proſilit e lecto & ſanatur, adeſt quidem effectus ſubitus; ſed quia novimus inter violentam illam agitationem, & quorumdam morborum ſanationem, aliquid eſſe affinitatis; miraculi nomine effectus ille minime nobilitatur. Quod autem ſubito, ſolo nutu aut vocis imperio, morbi, etiam ex natura ſua contumaces, fugiant, ibi miraculum agnoſcimus. Inter vocis enim imperium, & repentinam morbi ex ſe pertinacis ſanationem nulla intercedit proportio.

Objic. 2. Magi Pharaonis vera patrarunt miracula, virgas ſcilicet in dracones, aquam in ſanguinem converterunt, ranaſque ſuper terram adduxere. (*Exod. cap.* 7.) atqui tamen a dæmone patrata ſunt hæc miracula; ergo eorum cauſa efficiens non ſolus eſt Deus.

Reſp. Neg. maj. Cum multis enim reſponderi poteſt in iis prodigiis nihil veri & ſolidi fuiſſe, ſed mera præſtigia, vanaque rerum ſpectra quæ oculis illudebant. 1. Quia, teſte Scriptura, hæc omnia magi *fecerunt per incantationes & arcana quædam*: atqui magorum incantationibus non gigni ſolent niſi vanæ rerum ſpecies & inania ſimulacra, quibus decipiuntur ſpectantes. 2. Quia, ut ibidem refert Scriptura, cum aquas in ſanguinem convertiſſet Moyſes, *foderunt omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent; non enim poterant bibere de aqua fluminis*. (*v.* 24.) Atqui idem de Iſraelitis non dicitur, poſtquam viſi ſunt magi aquam in ſanguinem vertere. Præterea ranæ a Moyſe ſupra terram invectæ *mortuæ ſunt .... congregaverunt eas in immenſos aggeres & computruit terra*. (*Exod. cap.* 8. *v.* 14.) Quia ſcilicet veræ erant ranæ: atqui nihil ſimile de iis narratur, quas magi viſi ſunt immittere, quia nihil aliud erant, quam mendacia ranarum ſpectra.

Inſtab.

Inſtab. Juxta Scripturam, *magi fecerunt ſimiliter*, ideſt perinde ac Moyſes: atqui opera Moyſis vera fuerunt miracula; ergo & magorum prodigia.

Reſp. Diſt. maj. Fecerunt ſimiliter, id eſt Moyſen artibus ſuis imitari conati ſunt, conc. id eſt, eadem prorſus opera fecerunt, neg. itaque ille eſt genuinus hujus vocis *ſimiliter* ſenſus, quod magi ſuis incantationibus aut præſtigiis Moyſen imitari conati ſint; non vero quod omnia fuerint utrinque æqualia. Hoc enim vocabulum *ſimiliter* adhibet Scriptura, etiam ubi agitur de prodigio, quod nequicquam operari tentarunt magi: *Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis ut educerent ſcyniphes, & non potuerunt.* (*Exod. cap.* 8. *v.* 18.)

Objic. 3. Ut ſpiritibus angelicis merito denegetur vera miracula patrandi facultas, omnes ipſorum vires compertas habeamus neceſſe eſt: atqui nobis ſunt incognitæ; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Quamvis enim nobis perſpectæ non ſint Angelorum vires, noſque lateat quoſnam limites eorum poteſtati Deus conſtituerit, merito tamen pronuntiare licet, eos non poſſe miraculi proprie dicti cauſas eſſe efficientes. Miraculum enim ſtricte ſumptum in auctore ſuo potentiam exigit tota natura ſuperiorem, ideoque infinitam: atqui optime novimus ſpirituum virtutem nonniſi finitam eſſe, & intra naturæ ordinem contineri; nunquam igitur eo perveniet, ut miraculum proprie dictum, tanquam cauſa efficiens, operetur.

teſtes ſunt omnes populi apud quos ita invaluit, ut ſuam quiſque Religionem miraculis confirmare ſtuduerit; ergo Deus non poteſt hominis vel Angeli miniſterio, miraculum proprie dictum in gratiam erroris operari, quin homines in errorem inelucabilem pertrahat.

Quo pacto enim ab errore poſſent emergere? an per aliquam revelationem? ſed ut conſtet illa revelatio, miraculis obſignetur neceſſe eſt. An per novum miraculum? Sed poſterius illud miraculum nonniſi æquivocum erit teſtimonium. Dubitandi enim locus erit, an factum fuerit in gratiam erroris; ergo 2. de bonitate divina conclamatum erit, ſi vel homo vel Angelus malus eſſe poſſit cauſa *inſtrumentalis* miraculi alicujus in gratiam erroris; aliunde etiam ſubverteretur *veracitas* divina; ergo, &c.

Prob. 2. Miraculum veram eſſe probat doctrinam, in cujus confirmationem peractum eſt, ſi illud Deus inſtituerit tanquam certiſſimum veritatis ſignum, ſuæque voluntatis teſtimonium: atqui Deus miraculum inſtituit tanquam, &c. Quotieſcumque enim aliquid grande & inſolitum hominibus teſtari voluit, miraculis uſus eſt. Quo pacto dubitanti Moyſi fidem facit ſe ipſi hanc provinciam imponere, ut populum ſuum a ſervitute eripiat? nonne adhibendo miracula? Quo pacto Ægyptios Pharaonemque certiores facit, velle ſe ut populum Iſraeliticum liberum dimittant? nonne operando miracula? Quo pacto Judæis demonſtrat Chriſtus ſe divinitus miſſum, verumque Dei filium eſſe? nonne ſua allegando miracula? Ergo Deus miraculum inſtituit, tanquam certiſſimum veritatis ſuæque voluntatis ſigillum; ergo, &c.

Prob. 3. Illud vim habet probandi efficaciſſimam, cui ceſſit Pharaonis & ipſius Magorum pervicax obſtinatio; cui ceſſit multorum Judæorum contumax incredulitas; cui ceſſit Gentilium tot ſæculis confirmata ſuperſtitio; cui denique ceſſit orbis univerſus, fidem Chriſtianam

am-

amplectendo: atqui miraculis ceſſit, &c. adeo ipſis certum erat & perſuaſum non magis factis, quam verbis, Deum poſſe decipere, eamque veram eſſe doctrinam quæ miraculis nitebatur.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Chriſtus ſuos ita præmonet: *Surgent Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* (*Matth.* 24. 24.) Unde ſic: magna hæc prodigia de quibus Chriſtus loquitur, vera miracula erunt: atqui tamen fient in confirmationem erroris; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Nihil eſt enim in objectis Chriſti verbis, quod miracula proprie dicta clare exhibeat. Illæ quippe voces, *ſigna, prodigia*, non ſemper in Scripturis verum ſignificant miraculum; at non ſemel uſurpantur ad exprimenda quædam mirabilia, quæ ſpectantes plurimum commovent, quamvis naturæ vires non ſuperent. Aſſerit quidem Chriſtus ea fore hujuſmodi, ut in errorem inducerentur, ſi fieri poſſet, ipſimet electi; quia ſcilicet prodigia illa, licet ementita & ſpuria miracula, tantam præ ſe ferent veriſimilitudinem, ut a veris miraculis vix ac ne vix quidem ſecerni poſſent, niſi Deus ab iis præcavendum eſſe monuiſſet. Illa prodigia non fore veri nominis miracula, id eſt, quæ omnes naturæ creatæ vires ſuperent, patet ex Apoſtolo. De Antichriſto enim ſic habet: *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, in.... prodigiis & ſignis mendacibus.* (2. *Theſſal.* 2. 10.)

Objic. 2. Suam quiſque populus Religionem miraculis confirmari gloriatur; ergo miracula per ſe nihil probant.

Reſp. Neg. conſeq. Hæc difficultas noſtram theſim confirmat, nedum labefactet. Ideo enim populus quiſque in ſuæ Religionis gratiam alle-

gat

gat miracula, quia omnium populorum animos hæc imbuit perſuaſio, miraculum eſſe invictum veritatis argumentum; ſicut varii diſcordeſque Philoſophi evidentiam ſibi vindicant, quia eam omnes habent ut tutiſſimam veritatis regulam. Ex eo quod vero diverſarum Religionum cultores miraculis glorientur, non ſequitur eos veris miraculis eſſe inſtructos; quemadmodum, licet ſinguli Philoſophi evidentiam ſibi arrogent, non eam tamen ſemper tenent, ſed falſam ejus imaginem & larvam non ſemel amplectuntur.

Objic. 3. Fieri poteſt miraculum in gratiam erroris, ſi non repugnet Deum in errorem ineluctabilem nos inducere: atqui non repugnat Deum, &c. in pœnam ſcilicet alicujus peccati.

Reſp. Neg. min. 1. Quia tunc nulla Deo via ſuppeteret, qua poſſet hominibus ſuam voluntatem certam facere: quibuſcumque enim ſignis uteretur, quodcumque adhiberet teſtimonium, ſemper hominibus metuendum eſſet, ne ob præviam aliquam culpam in errorem neceſſarium inducerentur. 2. Quia ſi Deus in alicujus criminis pœnam per miracula nos deciperet, ac per ea loqueretur, tunc ipſe peccati, nempe falſi teſtimonii, reus eſſet; ſiquidem inſuperabilem nobis indidit propenſionem ad judicandum ſe aliquid per miracula teſtari. Cujus propenſionis teſtis eſt ipſe Spinoſa, qui ut ſuo in Dictionario refert Bayle, amicis ſæpe dictitabat, abſque dubio fidem chriſtianam ſe amplexurum, ſi Lazari reſurrectionem certam exiſtimaret.

Objic. 4. cum recentiori Deiſta: Si miraculum oculis perſpicerem, quid inde mihi utilitatis? miraculum voluntatem Dei illud operantis non mihi declarat.

Reſp. Diſt. Miraculum voluntatem Dei non declarat ſeorſim a quibuſdam circumſtantiis, vel ſine illius interpretatione & teſtimonio, quo Deus, tanquam miniſtro, utitur ad mira-

cu-

culum efficiendum, conc.; voluntatem Dei non declarat cum alterutra hac conditione, neg.

Porro miraculo quædam accedat conditio neceſſe eſt, Dei conſilium declarans; ea vero poſita, totam qua pollet probandi vim exerit, demonſtrando ſcilicet eam veram ac divinam eſſe doctrinam, ſive Religionem cui applicatur, 1. per circumſtantias in quibus fit: ſolis v. g. defectionem, terræ motum & alia prodigia quæ, moriente Chriſto, contigerunt, in gratiam ipſius Chriſti fieri ex circumſtantiis compertum erat, 2. per teſtimonium hominis miraculum Dei nomine operantis. *Qu'un homme*, inquit Rouſſeau, *vienne nous tenir ce langage: Mortels, je vous annonce la volonté du Très-Haut: reconnoiſſez à ma voix celui qui m'envoie. J'ordonne au ſoleil de changer ſa courſe, aux étoiles de former un autre arrangement, aux montagnes de s'applanir, aux flots de s'élever, à la terre de prendre un autre aſpect; à ces merveilles, qui ne reconnoîtroit pas à l'inſtant le maître de la nature?*

Exemplo magis eluceſcet noſtra reſponſio: ſigillum Regis ſejunctum a litteris quibus apponitur, Principis voluntatem non declarat; cum litteris vero conjunctum, mentem Principis ad quam ſignificandam inſtitutum eſt, manifeſtabit: ita miraculum ſeorſim a circumſtantiis, vel hominis illud operantis teſtimonio, de voluntate Dei nos certiores non facit; ſed, accedente alterutro, eam clare demonſtrat.

Inſtab. Atqui miraculum vim probandi non habet, etiam quando conjunctum eſt cum teſtimonio illius quo Deus utitur ad patrandum miraculum: fieri enim poteſt ut miniſter ille finem a Deo intentum pervertat, & alium longe diverſum mala fide ceteris hominibus declaret; ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. Repugnat enim permittere Deum, ut contra finem ſibi propoſitum, error

ror cum miraculo ſocietur per teſtimonium hominis, cujus operam adhibet ad illud efficiendum. Miraculum quippe Deus inſtituit, tanquam veritatis ſuæque voluntatis ſigillum: atqui ex dictis, non poteſt Deus hoc ſigillum homini committere, qui eo in confirmationem erroris abutatur; alioqui ſubverteretur ſumma illius bonitas & *veracitas*, ut ſupra demonſtravimus.

Inſtab. Aliquando permittit Deus ut ſacramentorum Miniſter facultate ſibi divinitus conceſſa male utatur; ergo pariter ſinere poteſt ut homo, cujus miniſterium in patrandis miraculis adhibet, ea in confirmationem erroris detorqueat.

Reſp. Neg. maj. & paritatem: Duplex affertur diſcriminis ratio. Prima eſt quod ſacramentorum Miniſter poteſtate ſibi divinitus conceſſa male utens, ſibi tantum, non aliis noceat; ſacramentorum enim virtus, a Miniſtri ſanctitate non pendet: contra vero, ſi quis miraculorum dono præditus, iis abuteretur, ad ceteros homines in errorem pertrahendos, non ſibi tantum, ſed aliis etiam damnum inferret graviſſimum.

Secunda diſparitatis ratio inde petitur, quod homines ex quodam naturalis propenſionis impetu, judicent Deum per miracula voluntatem ſuam denuntiare, ac proinde in ipſum error merito refunderetur. Id vero incommodi locum non habet, quando Miniſter ſacramenti conficiendi poteſtatem pravo animo exercet. Itaque vel Deus homini qui falſam doctrinam annuntiat, miracula patrandi facultatem ſubtrahet; vel non permittet ut errorem doceat, quo tempore miraculum operatur. Cujus rei illuſtre exemplum videre eſt in Balaam Propheta, qui vocatus a Rege Balac, ut populo Iſrael malediceret, illi contra quaſi invitus benedixit. *Num aliud*, inquit, *poſſum loqui*, *niſi quod juſſerit Deus?* (*Num.* 23. 12.)

Objic. 5. iſtud Deiſtæ Genevenſis colloquium: veritatis Apoſtole, quid ergo mihi di-

cen-

cendum habes, cujus judicium non penes me ſit? locutus eſt ipſe Deus. Rem narras graviſſimi momenti. Cuinam autem verba fecit? hominibus; cur ego nequidem verbulum ab eo audivi? ut illius verba tibi denuntiarent, aliis hominibus mandavit. Audio; homines ſcilicet mihi dicturi ſunt quod dixit Deus; malim ipſum audiiſſe: id Deo non fuiſſet operoſius, meque ab omni fraudis periculo liberaſſet. Ab eo te ſatis tutum præſtat, ſuorum præconum miſſionem certam faciendo. Quo pacto? per miracula. At ubinam ſunt iſta miracula? in libris. Verum quis libros illos compoſuit? homines. Quis illa prodigia vidit? Ipſi homines qui ea teſtantur. Quid? ſemper allegantur humana teſtimonia, ſemper homines qui ea mihi referunt, quæ alii homines retulere? quot inter me & Deum homines!

Eo ſpectat illud ſophyſtæ Genevenſis colloquium, ut perſuadeat nullam miraculis, verbum Dei teſtantibus, fidem deberi, quia humanis nituntur teſtimoniis.

Reſp. 1. In iſto colloquio, undique ſeſe prodit ſuperbia & inſulſitas. Negat ſe Deo fidem adhibiturum, niſi ipſum loquentem audierit; qua in re plurimum eſt arrogantiæ. Fingamus ad eum a Rege mitti legatum qui ipſum roget, ut in aulam Principis veniat. Numquid offenderetur quod Princeps ipſe ad eum invitandum non veniſſet? Si Regis legatus certiſſima ſuæ miſſionis argumenta exhiberet, numquid ea reſpueret? Numquid expoſtularet, quod inter ipſum & Principem alius interponeretur? nequaquam ſane. Cur ergo eum non pudet a ſupremo Numine exigere, quod ab hominibus poſtulare non auderet? Præterea ſi teneatur Deus Philoſopho Genevenſi ſine ullo intermedio verba facere, idem pariter ceteris hominibus debet; neceſſe igitur erit ut Deus ſpeciatim unicuique homini ſeſe aperte revelet, & ſingulis diebus iterandæ erunt hu-

juſ-

juſmodi revelationes. Ubinam ergo erit fides?

Denique ſi in rebus ad Religionem pertinentibus unuſquiſque per ſpecialem & immediatam Dei revelationem edoceretur, maximum eſſet periculum ne multi proprios animi affectus, & mentis ſuæ figmenta pro Dei verbo haberent, variiſque erroribus via pateret. Plurimi privatam ſuam revelationem, internamque illuſtrationem jactarent, ſicque nulla eſſet in Religione conſenſio.

Reſp. 2. Deus, ut ſupra demonſtravimus, per miraculum loqui cenſendus eſt. Qui enim illud ſub oculis meis nomine Dei operatur, ſupremi Numinis perſonam gerit & mihi exhibet. Solus enim Deus poteſt miracula efficere. Si hominem igitur videam prodigia patrantem, quæ divinæ potentiæ quaſi impreſſum habeant ſigillum, tunc eum, tamquam Dei miniſtrum & interpretem, confidenter revereor; ipſius verba velut Dei oracula ſecurus excipio.

Reponet fortaſſe aliquis id tantum ad eos pertinere, qui prodigiorum teſtes extitere, ceteros vero merito conqueri, quod eodem beneficio fraudati fuerint, & aliorum teſtimoniis fidem adhibere cogantur, qui Deum & inter ipſos ſunt intermedii.

Sed vana prorſus & injuſta eſſet hujuſmodi expoſtulatio. Illorum enim prodigiorum veritas tam certo nobis conſtat, quam ſi propriis oculis ea videremus. Per miracula igitur voluntatem ſuam non minus aperte nobis denuntiat Deus, quam iis qui ea conſpexere. Sunt enim facta quædam a temporibus noſtris remotiſſima, quorum cognitio, licet humanis teſtimoniis ad nos uſque tranſmiſſa, non minus certa eſt, quam ſi nobis præſentibus fuiſſent peracta. Quis v. g. extitiſſe Cæſarem dubitaverit? quot tamen inter nos & illum Imperatorem interjecti ſunt homines! Hujuſmodi autem eſſe miracula in Religionis Chriſtianæ gratiam edita poſtea demonſtrabimus.

Reſp.

Reſp. 3. Turpiter a ſeipſo diſcordare Philoſophum Genevenſem. Sic enim de factis, ſive miraculis Evangelicis, habet: *Dirons-nous que l'hiſtoire de l'Evangile eſt inventée à plaiſir; mon ami, ce n'eſt pas ainſi qu'on invente, & les faits de Socrate, dont perſonne ne doute, ſont moins atteſtés que ceux de J. C.* De factis igitur Socratis nullo modo dubitare ſe profitetur: quot tamen inter Socratem & noſtrum cavillatorem intermedii ſunt homines! ut ergo ſibi conſtet, fateatur neceſſe eſt certiſſima eſſe Chriſti miracula, quamvis inter Chriſtum & ipſum interpoſita ſit longa hominum ſeries.

Objic. 6. cum D. Hume Philoſopho Anglo: Ubi alicujus propoſitionis veritati alia favent, & alia nocent argumenta, gravioribus cedendum eſt. Probat experientia conſtans & perpetua eumdem ſemper eſſe naturæ curſum; demonſtrat autem experientia teſtes aliquando verum, aliquando falſum teſtari; experientia proinde quæ veraces eſſe teſtes probat, variationi obnoxia eſt, ideoque ea debilior quæ ſemper uniformem eſſe naturæ curſum declarat; ergo priori debet prævalere: unde concludit nonniſi temere fidem miraculis adhiberi, quæ contra ſolitum naturæ curſum fiunt, & humanis tantum nituntur teſtimoniis.

Reſp. non raros eſſe effectus qui a ſolito naturæ curſu diſſentiunt. Cyclopes v. g. qui inter fabulas aniles rejecti fuerant, ultimis hiſce temporibus reipſa extitere. Anno 1644. Aquiſ-Sextiis (*à Aix en Provence*) in muſæo D. Borrilly videbatur cyclopis, qui novem menſes vixerat, corpus conditum, & cujus oculus integer ſine artificio ſervatus fuerat. Anno 1712. Hafniæ (*Copenhague*) natus eſt cyclops de quo ſic narrat epiſtola ad Diarii Trivoltienſis (*de Trévoux*) Auctorem ſcripta: *On ne vous a point impoſé, quand on vous a écrit d'Allemagne qu'il étoit né un petit cyclope, je l'ai vu. Il n'avoit de monſtrueux que la tête, qui n'étoit*

pas

pas plus groſſe qu'elle l'eſt dans les autres enfans, mais toute velue..... la place du nez étoit occupée par un grand œil avec ſes ſourcils. (*Journal de Trévoux, Janvier* 1712. *pag.* 156.)

Alios longe plures inſolitos naturæ fœtus videre eſt in actis Academiæ Regiæ Scientiarum. Plurimos referunt ſingula volumina, in articulo de Obſervationibus anatomicis. Quo pacto igitur dicere potuit Philoſophus Anglus, juxta perpetuam experientiam, ſemper æquabilem ſibique cohærentem eſſe naturæ curſum? quo pacto conſtantem appellare potuit experientiam, quam negant omnes Judæi & Chriſtiani? Nedum enim teſtentur nulli unquam variationi ſubjacere naturæ curſum, eum non ſemel interruptum fuiſſe aſſerunt, alii tanquam teſtes oculati, alii vero quia id ab iis acceperunt, qui propriis viderant oculis?

Obj. 7. cum Auctore libri cui titulus: *Penſées philoſophiques: Veux-tu que je devienne ton proſélyte, laiſſe tous ces prodiges, & raiſonnons. Je ſuis plus ſûr de mes raiſonnemens que de mes yeux. Si la Religion que tu m'annonces eſt vraie, ſa vérité peut être miſe en évindence, & ſe démontrer par des raiſons invincibles. Trouve-les, ces raiſons; pourquoi me harceler par des prodiges, quand tu n'as beſoin, pour me terraſſer, que d'un ſyllogiſme.*

Reſp. In vana illa cavillatione undique ſeſe prodit falſitas. Duo quippe involvit; primum, miracula nullius eſſe ad probandum momenti; quia judicio potius quam oculis ſtandum eſt; ſecundum, etiamſi probandi vim haberent, nullius tamen eſſe utilitatis, quia vera Religio ſola ratione demonſtrari poteſt & debet: atqui utrumque illud falſum eſt.

Et primum quidem; quantum enim in genere probationis valeant miracula, ex dictis abunde compertum eſt. At, inquit adverſarius, judicio potius quam oculis, fidendum eſt. Eſto, ſi judicium & oculi ſecum invicem pugnent; ſed nulla

la eſt inter utrumque pugna, nulla diſſenſio. Oculi miracula nobis exhibent & referunt. Huic autem teſtimonio non opponitur judicium, ſive ratio: poſſibilia enim eſſe miracula, certis jam oſtendimus argumentis.

Secundum cavillationis caput non minus habet inanitatis. Miraculorum enim utilitas cuilibet, vel leviter attendenti, aperta eſt; tum quia doctrinæ in cujus gratiam fiunt, ipſam Dei auctoritatem conciliant; tum quia rudibus & imperitis via ſunt maxime accommodata, qua veritatem aſſequantur, dogmatum ſcilicet diſcuſſionem amovendo. Id ultro confitetur *Rouſſeau* his verbis: *Le troiſieme caractere des envoyés de Dieu eſt une émanation de ſa puiſſance divine, qui peut interrompre & changer le cours de la nature, à la volonté de ceux qui reçoivent cette émanation. Ce caractere eſt ſans contredit le plus brillant de tous; le plus frappant, le plus prompt à ſauter aux yeux, celui qui ſe marquant par un effet ſubit & ſenſible, ſemble exiger moins d'examen & de diſcuſſion. Par-là ce caractere eſt auſſi celui qui ſaiſit ſpécialement le peuple, incapable de raiſonnemens ſuivis, d'obſervations lentes, & en toutes choſes eſclave des ſens.* (3. *Lettre de la Montagne*, *pag.* 110.)

Sic igitur adverſarium refellimus qui Religionem geometrico theorematum & lemmatum apparatu demonſtratam vellet: Religio cujus argumenta non ſunt omnium hominum ingenio & intelligentiæ attemperata, non poteſt eſſe Religio quam pro rudibus & imperitis Deus conſtituit: atqui Religio more Geometrarum demonſtranda, certe non eſt omnium hominum; &c.; ergo, &c.

PA-

PARAGRAPHUS II.

De Prophetiis.

PRophetiæ nomen a verbo græco derivatur quod idem ſonat ac prædicere. Prophetia ſtricte ſumpta definitur, *prædictio certa futuri alicujus eventus qui in cauſis naturalibus prævideri non potuit.* Sic diſcrepat a futurorum cognitione, quæ in perſpecta cauſarum naturalium connexione nititur; quales ſunt cognitiones vel Phyſicorum de eclipſibus, vel medicorum de ægrotantium morte aut ſanatione, vel politicorum de futuris quibuſdam Imperiorum converſionibus. His præmiſſis duæ ſtabiliendæ ſunt propoſitiones.

PROPOSITIO I.

Prophetia ſtricte ſumpta poſſibilis eſt.

PRobatur: Poſſibilis eſt prophetia ſtricte ſumpta, modo Deus homini revelare poſſit res futuras, quæ in cauſis naturalibus prævideri nequeant: atqui illud poteſt Deus; id quippe non repugnat ſive ex parte Dei, ſive ex parte hominis. I. Equidem non ex parte Dei. Cum enim res quaslibet extituras certo noverit, poteſt eas homini manifeſtare. Cur ſcilicet Deus res tum præſentes, tum præteritas homini revelare poteſt? nonne quia eas habet ſibi compertas? atqui pariter quidquid futurum eſt habet exploratum, ergo poteſt illud homini detegere; ac proinde I. non repugnat Deum homini revelare futura quæ in cauſis naturalibus prænoſci nequeunt.

II. Illud non repugnat ex parte hominis; tum quia comparandæ futurorum notitiæ homo eſt idoneus: ſolo enim lumine naturali adjutus plurimos eventus prævidet, qualia ſunt ecliſes aliaque phœnomena; tum quia Deus; utpote

pote mentibus humanis intime præſens, eas poteſt ſua luce colluſtrare, & illius quam haber futurorum ſcientiæ facere participes. Si enim homines ſuas poſſunt cognitiones ſibi invicem aperire, quanto magis illud poterit Deus, qui ſupremum habet in mentes humanas dominium? ergo 2. &c. ergo, &c.

Dices: Impoſſibilis eſt prophetia ſtricte ſumpta, ſi futura certo prævidere Deus nequeat: atqui, &c. & maxime ubi agitur de eventibus qui a libera hominum voluntate pendent.

Reſp. Neg. min. Deus enim futura quæcumque, etiam libera, certo prævidet in efficacibus ſuis decretis, quibus hoc vel illud extiturum conſtituit. Summam quippe id tempore definito exequendi poteſtatem habet, cum voluntates humanas pro ſuo arbitrio flectat, ſicque diſturbet quidquid ſuis conſiliis obſtaret. *Sine dubio*, inquit Auguſtinus, *habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*. (*Lib. de Correpr. & Grat. n.* 45.) *De ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit*. (*Ibid.*) In eas majus habet imperium, quam ipſimet homines: *Magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſis ſuas*. (*Ibid.*) Ipſum voluntatis motum in hominum cordibus operatur, ut per eos quidquid ſibi libuerit, perficiat: *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino injuſte aliquid velle non novit*. (*Lib. de Grat. & lib. arb. cap.* 21.)

Deus ergo voluntates humanas ſic efficacitet movet, ut quidquid ab æterno decrevit, ſuo nunquam fraudetur effectu; in ſuis igitur decretis certo prævidet futuros eventus, etiam liberos. Unde ſic ipſe teſtatur: *Ego ſum Deus, & non eſt ultra Deus.... annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio quæ necdum facta ſunt, dicens: conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. (*Iſa. cap.* 46, *v.* 9. & 10.)

PRO-

PROPOSITIO IV.

Solus Deus eſt cauſa efficiens Prophetiæ propriè dictæ.

Prob. 1. Illius cognitionis Deus ſolus auctor eſſe poteſt, quæ intelligentiam quamlibet creatam ſuperat: atqui ita ſe habet prophetia ſtricte ſumpta. Eam quippe diximus certam eſſe eventuum futurorum & latentium prædictionem, qui in cauſis naturalibus prænoſci nequeunt: atqui hujuſmodi prædictio intelligentiæ cujuslibet creatæ vim ſuperat, ſolique Deo competit, cui patet quidquid per temporum ſeriem futurum eſt; ergo, &c. Hinc ita Deus ipſe teſtatur: *Recordamini quia ego ſum Deus, & non eſt ultra Deus; nec eſt ſimilis mei annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio quæ necdum facta ſunt.* (*Iſa. ibid.*)

Prob. 2. ex unanimi populorum conſenſu: omnes enim ſua jactarunt oracula vera vel mendacia, ſuos vates qui ſeſe a Diis afflatos gloriabantur. Ut quid autem vates illi populis perſuadere ſtuduerunt, a Diis futura ſibi revelari? Ut quid populi futuros eventus ſuis vatibus manifeſtari exiſtimarunt, niſi quia futurorum prænotionem Deo propriam eſſe, eaque prædicendi facultatem munus eſſe Dei crediderunt?

COROLLARIUM III.

Ergo Religio Prophetiis firmata non poteſt non eſſe vera & divina.

Ex modo dictis, ſolus Deus cauſa eſt Prophetiæ efficiens; atqui, hoc poſito, vera & divina ſit neceſſe eſt Religio quæ Prophetiis nititur; alioquin error in Deum ipſum, tanquam cauſam, merito refunderetur. Ut autem prophetia vim habeat probandi, quatuor re-

quiruntur conditiones. Certo conſtare debet, 1. illam ante eventum fuiſſe editam; 2. rem prænuntiatam vere contigiſſe; 3. eventum ſcientia naturali prævideri non potuiſſe; 4. eumdem cum prophetia fortuito non conſentire.

Dices: Sic jubet Dominus: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius.* (*Deuter.* 13. 1.)

Unde ſic: illud certum non eſt veritatis ſignum, quod fieri poteſt in gratiam erroris & idololatriæ: atqui prophetia ſtricte ſumpta, &c. ut patet exemplo mox propoſito; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Cum enim prophetia ſolum Deum habeat auctorem, non magis in gratiam erroris fieri poteſt, quam miraculum; alioqui error ipſi Deo, tanquam cauſæ, merito tribueretur. Objecta vero Deuteronomii verba intelligi poſſunt 1. de hypotheſi impoſſibili, ad eumque ſenſum revocari: etiam ſi quis veram ederet prophetiam, ut in errorem & idololatriam vos induceret (quod impoſſibile eſt) ipſum non audiatis. Simili argumento utitur Apoſtolus: *Licet Angelus*, inquit, *de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema ſit.* (*Galat.* 1. 8.) Quæ verba procul dubio hypotheſim impoſſibilem continent.

2. Idem locus exponi poteſt de homine qui veras edidit prophetias, & qui poſtea in idololatriam lapſus, auctoritate quam ipſi conciliaverat donum prophetiæ, abuteretur ad corrumpendam hominum fidem, eoſque a veri Numinis cultu deterrendos.

CA-

CAPUT III.

De Chriſtianæ Religionis divinitate & veritate.

CUm in Novi Teſtamenti libris contineantur facta, quibus nititur Religionis Chriſtianæ divinitas, & veritas, ab incredulorum cavillationibus vindicanda eſt ipſorum auctoritas. Eos itaque eſſe authenticos, integros, & verâ eſſe quæ in ipſis narrantur, facta demonſtrabimus; ex quibus divinam eſſe Religionem Chriſtianam concludemus; quod aliis rationibus graviſſimis confirmabitur.

PROPOSITIO I.

Novi Teſtamenti libri verè ſunt authentici, non autem ſuppoſiti.

Prob. ILli libri ſunt vere authentici, qui eos habent auctores, quorum nominibus inſcribuntur: atqui Novi Teſtamenti libri, &c. Illud enim certum eſt, quod teſtatur omnium ſæculorum fides: alioqui nihil erit in factis hiſtoricis indubitatum, omneſque libri rejiciendi erunt ut ſpurii: atqui Novi Teſtamenti libros eorum eſſe quorum nomina præ ſe ferunt, teſtatur omnium ſæculorum fides; cum ea de re conſentiant ſcriptores tum Catholici, tum Hæretici, tum Pagani. 1. Quidem Catholici, ut innumeris Veterum teſtimoniis conſtat, ex quibus id unum Tertulliani referemus: *Percurre*, inquit: *Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ authenticæ litteræ Apoſtolorum recitantur.* (*Lib. de Præſcript. cap.* 36.) 2. Cum Catholicis concordes ſunt veteres Hæretici, qui I. & II. ſæculo extitere, nempe Ebionitæ, Cerinthiani, Marcionitæ. Cum enim operum quæ Apoſtolis tribuuntur, ipſis objiceretur auctoritas, nunquam dixe-

re ea non fuiſſe ab Apoſtolis conſcripta: atqui ſi ea de re vel tantillus fuiſſet dubitandi locus, profectò reſpondiſſent illi Hæretici hæc ſcripta ab ipſis Apoſtolis non prodiiſſe, ut Catholicorum tela declinarent. 3. Accedit Auctorum Paganorum conſenſio, qui adverſus Religionem ſcripſere, quales fuerunt Celſus, Porphirius, Julianus, quorum tamen ſummopere intererat ſacrorum librorum auctoritatem imminuere. Nam Celſus Philoſophus multa ex Evangeliis commemorat, quæ ex diſcipulorum Chriſti libris ſe excerpere profitetur. Porphirius & Julianus qui nihil ex iis reticuerunt, quæ in Religionem Chriſtianam aliquid opprobrii reſpergere poterant, de ſacrorum tamen codicum ſuppoſitione tacent: adeo perſuaſi erant, eos genuina eſſe Apoſtolorum opera! ergo, &c.

Prob. 2. Si libri Novi Teſtamenti ſub Apoſtolorum nominibus a viris mendacibus fuiſſent confictí, illud contigiſſet, vel ante vel poſt mortem Apoſtolorum: atqui neutrum dici poteſt. Non quidem 1. quis enim adeo temerarius & demens eſſe potuit, ut illud ſub ipſis Apoſtolorum oculis auderet? quod ſi quiſpiam tentaſſet, illud profectò non ignoraſſent Apoſtoli: ſed vel per ſe ipſos, vel per diſcipulos reſciviſſent. Re autem cognita, nonne obſtitiſſent, ne ipſorum auctoritate & nomine abuteretur impoſtor, ad eos decipiendos quos immenſis laboribus ad veritatem Evangelicam adduxerant? Supponamus, v. g. confictas eſſe Pauli epiſtolas, ejuſque nomine falſo inſcriptas: iſtud Apoſtolum diu latere non potuit; arctiſſimum quippe ipſi cum Eccleſiis quas fundaverat commercium fuit: ſuos frequenter diſcipulos mittebat, ut illas inviſerent; imo ipſe ad eas ſæpe ventitabat; numquid ergo tale mendacium non habuiſſet perſpectum? Numquid contra detectam fraudem illico non reclamaſſet? ergo 1. &c.

2. Non

2. Non minus abſurde diceretur libros illos poſt mortem Apoſtolorum fuiſſe confictos. Qua enim arte primi Chriſtiani, v. g. Galatæ, Romani, Corinthii perſuaderi potuiſſent, ut crederent ſe a ſancto Paulo Epiſtolas accepiſſe, earumque auctographa præ manibus habuiſſe, ut ait Tertullianus? Quomodo fieri potuit, ut illas Epiſtolas privatim & publice legerent, tanquam manu Pauli ſcriptas, tamen illas nec accepiſſent, nec de iis quidquam audiviſſent? ergo 2. &c. ergo, &c.

Iis argumentis ſi non moveantur increduli, Philoſophum ſibi minime ſuſpectum ſaltem audiant, ex cujus ore luculenta hæc verba expreſſit victrix veritas: *Je vous avoue que la majeſté des Ecritures m'étonne, la ſainteté de l'Evangile parle à mon cœur. Voyez les livres des Philoſophes avec toute leur pompe. Qu'ils ſont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la fois ſi ſublime & ſi ſimple, ſoit l'ouvrage des hommes? Se peut-il que celui dont il fait l'hiſtoire, ne ſoit qu'un homme lui-même? eſt-ce là le ton d'un enthouſiaſte, ou d'un ambitieux ſectaire?*

Diron-nous que l'hiſtoire de l'Evangile eſt inventée à plaiſir? mon ami, ce n'eſt pas ainſi qu'on invente, & les faits de Socrate, dont perſonne ne doute, ſont moins atteſtés que ceux de Jeſu-Chriſt. Au fond, c'eſt reculer la difficulté ſans la détruire. Il ſeroit plus inconcevable que pluſieurs hommes d'accord euſſent fabriqué ce livre, qu'il ne l'eſt qu'un ſeul ait fourni le ſujet; & l'Evangile a des caractères de vérité ſi grands, ſi frappans, que l'inventeur ſeroit plus grand que le Héros. (Emile, tom. I. pag. 179.)

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Libri quidam profani diu habiti ſunt ut genuini, qui poſtea tanquam ſuppoſiti recogniti ſunt; ergo pariter libri Evangelici poſſunt eſſe ſuppoſiti.

Reſp. 1. Retorqueo argumentum: libri quidam ſuppoſiti fuerunt; ergo Ciceronis, Virgilii, Horatii & aliorum opera, ſub eorum nominibus conficta ſunt; quis vero, niſi Pyrrhonianus ſit, illud ratiocinium admittat?

Reſp. 2. Neg. conſeq. Novi enim Teſtamenti libri nullum omnino ſuppoſitionis indicium exhibent. A traditione non interrupta iis auctoribus tribuuntur, quorum nomina præ ſe ferunt; admittuntur ut genuini, etiam ab iis quorum interfuit illud pernegare; multa continent præcepta cupiditatibus maxime ingrata, quæ haud dubie fuiſſent rejecta, ſi libri illi eſſent ſuppoſiti; facta complectuntur maximi momenti quæ proinde non ſemel examini ſubjecta ſunt; denique nec viventibus, nec mortuis Apoſtolis confingi potuere: quæ omnia genuinos eſſe Novi Teſtamenti libros demonſtrant.

Objic. 2. Primis Eccleſiæ temporibus, ab Hæreticis multa Evangelia ſub Apoſtolorum nominibus fraudulenter invecta ſunt; ergo noſtra pariter ſupponi potuerunt.

Reſp. Neg. conſeq. 1. Quia commentitia hæc Evangelia ſtatim repudiata ſunt. Eodem igitur Religionem incorruptam ſervandi ſtudio ducti primi Chriſtiani, quatuor alios Evangeliorum libros pariter rejeciſſent, niſi eorum ſinceritas omnibus patuiſſet. Objectum igitur argumentum cauſam noſtram juvat, nedum infirmet. 2. Nullus eſt qui pro aſſerenda fictitiorum Evangeliorum fide vitam abjecerit. 3. Inepte prorſus ſpuria Evangelia nobis objiciunt Deiſtæ; cum enim Chriſti Reſurrectionem, Aſcenſionem, ceteraque ejus miracula referant, ſacrorum codicum in hac parte teſtimonium potius confirmant, quam illorum minuant auctoritatem.

Obj. 3. Authenticos eſſe Novi Teſtamenti libros ex Chriſtianorum teſtimonio colligitur: atqui hæc probatio nullius eſt momenti; ſiquidem nemo judex in ſua cauſa eſſe poteſt: ergo, &c.

Reſp.

Reſp. 1. Neg. maj. Non Chriſtianorum enim tantummodo, ſed & Paganorum teſtimonio nititur Novi Teſtamenti librorum authenticitas; quamvis eorum cauſæ plurimum interfuerit ſacros codices in ſuppoſitionis ſuſpicionem adducere, id tamen Chriſtianis objicere non auſi ſunt. Ex. g. Julianus Imperator nunquam de Evangelicis aut aliis Novi Teſtamenti libris ſermonem habet, quin eos Apoſtolis tribuat, quorum nomina præ ſe ferunt. Modo quædam loca, ex S. Pauli Epiſtolis, ut ipſe teſtatur, decerpta refert; modo poſt Lucam & Matthæum, nonnulla Chriſti verba vel facta commemorat; Quando Chriſtianis prohibet ne humaniores litteras edoceant, *ſatis ipſis fuerit*, inquit, *Lucam & Matthæum in Galilæorum cœtibus exponere*. Vide S. Cyrillum Alexandrinum adverſus Julianum.

Unde ſic exclamat D. du Voiſin, Doctor Sorbonicus: *Choſe étrange! les incrédules modernes oſent conteſter un fait dont les Apoſtats & les Philoſophes du IV. ſiecle étoint obligés de convenir. Ont-ils donc recouvré quelque ancien titre inconnu a l'Empereur Julien? peuvent-ils ſe flatter de connoitre mieux que lui les premiers monumens de l'hiſtoire Eccléſiaſtique? Non, ſans doute; mais, nous le diſons a regret, dans la maniere dont Julien combattoit le Chriſtianiſme, on entrevoit encore quelque reſte de pudeur & de bonne foi, que l'on chercheroit en vain dans les écrits de nos Philoſophes.* (*Autorité des liv. du N. T. pag.* 125. & 126.)

Reſp. Neg. min. Scilicet populum non poſſe in ſua cauſa eſſe judicem: audiri enim ſolent omnes populi in his quæ ad regimen ſuum, legeſque ſuas pertinent: atqui in Novi Teſtamenti libris continentur Chriſtianorum regimen, leges, ſtatus, deſtinatio. Præterea Chriſtiani, priuſquam ſuum Chriſto nomen darent, Religionis vel Judaicæ, vel Ethnicæ, in qua nati fuerant & inſtituti, principiis erant imbuti;

 plu-

plurimis igitur laborabant præjudiciis erga facta, quæ ipſis credenda proponebant Chriſtiani, ideoque in propria cauſa non judicarunt; maximi ergo momenti eſt ipſorum teſtimonium, ſiquidem non pia quadam credulitate deluſi, ſed factorum evidentia victi, Religioni Chriſtianæ ſeſe addixerunt.

PROPOSITIO II.

Novi Teſtamenti libri non fuerunt quoad ſubſtantiam adulterati.

Prob. 1. Si Novi Teſtamenti libri fuiſſent quoad ſubſtantiam adulterati, illud contigiſſet, vel Apoſtolorum ætate, vel ætatibus ſubſequentibus: atqui neutrum dici poteſt; 1. enim quis ſibi perſuadeat Apoſtolorum ſcripta ſub ipſorum oculis potuiſſe impune temerari? nonne ſtatim reclamaſſent Apoſtoli qui propagandæ & ſervandæ ſanæ doctrinæ toti incumbebant? nonne reclamaſſent fideles ab ipſis Apoſtolis eruditi, pro ſumma ſuos in magiſtros, & doctrinam ab iis acceptam reverentia? ergo 1. ſacri codices Apoſtolorum ætate corrumpi non potuere; 2. nec ætatibus ſubſequentibus: tunc quippe innumera tranſcripta erant exemplaria per orbem univerſum ſparſa; innumeræ verſiones ubique terrarum exiſtebant, & inter manus Chriſtianorum verſabantur; ſi quis igitur ſacros libros quoad ſubſtantiam adulterare tentaſſet, undique ſtatim fuiſſet reclamatum.

Prob. 2. Libri Novi teſtamenti vitiari quoad ſubſtantiam non potuiſſent, niſi vel a Judæis, vel a Paganis, vel a Chriſtianis: atqui nihil eorum veriſimile eſt: non quidem a Judæis: tum quia obſtitiſſent Chriſtiani; tum quia in Novi Teſtamenti libris, quales extant, plurima legere eſt Judæorum doctrinæ contraria, frequentiſſimas Chriſti adverſus eos objurgatio-

nes,

nes, & alia bene multa Judæis prorſus indecora: atqui ſi libros noſtros temeraſſent, hæc omnia procul dubio ſuſtuliſſent. 2. Non a Paganis: plurima enim in ſacris voluminibus continentur, quæ paganiſmum funditus evertunt, quale eſt de unius verique Dei cultu & adoratione præceptum: atqui ea profecto deleviſſent, ſi librorum noſtrorum integritatem violandam ſuſcepiſſent. 3. Non a Chriſtianis: ii enim eſſent vel Catholici, vel Hæretici: atqui utrumque repugnat: namque ſi Catholici ſacros codices corrupiſſent, reclamatum fuiſſet ab Hæreticis & viciſſim. Præterea non potuiſſent Hæretici exemplaria Catholicorum adulterare; hæc enim præ manibus non habebant. Vice verſa, penes Catholicos non fuit Hæreticorum exemplaria vitiare, ſiquidem in ipſorum poteſtate non erant; ergo libri Novi Teſtamenti quoad ſubſtantiam non ſunt adulterati; ſed facta quæ in ipſis narrantur, ad nos uſque tranſmiſſa ſunt integra.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Perierunt autographa Evangeliorum; ergo facile vitiari potuerunt quoad ſubſtantiam.

Reſp. Neg. conſeq. Nullam increduli aſſignare poſſunt hiſtoriam veterem & profanam cujus habeamus autographum; numquid idcirco hiſtorias omnes in dubium vocant? præterea ab ipſis Eccleſiæ incunabulis extiterunt plurimæ Evangeliorum verſiones, innumeri codices manuſcripti; ſiquidem libri ſacri per orbem univerſum, in quo ſunt tot ſermones varii, diſſeminati erant, a paſtoribus explanabantur, ab omnium regionum Chriſtianis legebantur: atqui tanta & verſionum & manuſcriptorum multitudo invicte obſtabat ne corrumperentur libri Evangeliſtarum: *Que d'obſtacles*, inquit Lugdunenſis Archiepiſcopus, *ſe ſeroient oppoſés au*

 deſ-

deſſein de corrompre ou d'altérer l'hiſtoire de l'Evangile? les copies en étoient répandues dans toute la terre; une multitude de nations diverſes la reſpectoient comme un monument divin; elle étoit entre les mains de tous les fideles; chacun y trouvoit le titre fondamental de ſa grandeur & de ſes eſpérances; on la liſoit ſans ceſſe dans les familles, dans les maiſons particulieres, & dans les aſſemblées publiques de Religion. Et ne réſulte-t-il pas manifeſtement de la reunion de toutes ces circonſtances, que les Ecritures du Nouveau Teſtament n'ont eu rien à redouter, ni de la révolution des ſiecles, ni des entrepriſes de la nouveauté. (*Inſtr. paſt. pag.* 96. *Edit. in* 4.)

Objic. 2. Inter ſe non conſentiunt librorum ſacrorum exemplaria, ſed in iis innumeræ ſunt variantes lectiones; ſuas unaquæque linea habet, ita ut doctiſſimus Millius Anglus in ſua Novi Teſtamenti editione Græca triginta millia collegerit; ergo ſacri codices quoad ſubſtantiam fuerunt adulterati.

Reſp. Neg. conſeq. Variantes illæ lectiones minime probant divinos libros in his quæ alicujus ſunt momenti fuiſſe vitiatos. Non obſtant enim quominus ſacri codices ſibi conſonent; varietas non eſt in rebus, ſed in verbis. Quod tibi libuerit exemplar, accipe; eadem miracula, eadem facta, eadem dogmata, eadem circa mores præcepta deprehendes. Objecta lectionum varietas in eo tantum ſita eſt, & inde exorta quod, errante oculo, vel manu conſcribentium, quædam litteræ vel additæ, vel detractæ, vel tranſpoſitæ fuerint.

Præterea Millius innumera exemplaria, innumeros codices manuſcriptos, innumeras verſiones ſecum invicem contulit, & omnes, vel etiam accentuum diſſimilitudines, minutatim annotavit: non mirum eſt igitur tanto numero eſſe quas collegit variantes lectiones, quamvis ſenſum relinquant intactum. Qua de re audiamus

mus doctiſſimum Bentley, qui præclaram Terentii editionem concinnavit: *Je dirai avec confiance, que dans cet auteur, dont les ouvrages ne ſont pas à beaucoup prés un volume auſſi gros que le Nouveau Teſtament, j'ai trouvé vingt mille diverſes leçons: que ſeroit-ce donc, ſi l'on collationnoit les manuſcrits de Terence avec la même préciſion, &, ſi j'oſe le dire, avec la même minutie, que l'on a fait ceux du Nouveau Teſtament? je ſuis moralement aſſuré que, même ſur la moitié moins d'exemplaires, les variantes ce Poëte monteroient à plus de cinquante mille.* (*Critique du diſcours ſur la liberté de penſer.*).

Denique hæc lectionum diverſitas, quæ verba, non ſenſum afficit, ſacrorum librorum integritatem confirmat, nedum infirmet; quo majori enim numero ſunt alicujus libri exemplaria, eo difficilius eſt illum quoad ſubſtantiam corrumpere, eoque facilius ipſum a ſuis mendis repurgare, collatis ſcilicet inter ſe exemplaribus: atqui lectionum varietas probat exemplarium multitudinem. Ubi enim unicum eſt exemplar, ibi non poteſt eſſe lectionum diverſitas.

Inſtab. Si divini eſſent Evangeliſtarum libri, Deus illos ab illis mutationibus defendiſſet.

Reſpondeo divinam Providentiam Evangeliorum libros in his omnibus ſervaſſe integros, quæ ad Religionem rerumque ſubſtantiam pertinent; quod ſufficit ad cultus divini perpetuitatem, utque ſuum finem Deus aſſequatur. Numquid velit incrudulus a Deo miracula continuo perpetrari, ut variationibus occurrat, quæ rerum humanarum conditioni illigatæ ſunt, & quæ nullius ſunt ad Religionem momenti?

En eſt-il moins vrai, inquit D. De Montazet; *que ce ſont par-tout les mêmes dogmes, la même morale, les mêmes prédictions, les mêmes promeſſes, la même ſuite d'hiſtoire; que de tous les manuſcrits, de toutes les verſions, de tous*

les livres, il en revient toujours la même ſubſtance, la même ſoi; que tous, ſans exception, nous préſentent J. C. opérant des prodiges, prêchant une doctrine ſublime .... mourant au milieu des douleurs & des ignominies, ſortant du tombeau par ſa puiſſance, envoyant ſes Apôtres dans tout l'univers, s'élevant au plus haut des cieux, & répandant de là-ſon Eſprit ſur l'Egliſe naiſſante? .... Que pouvions-nous demander de plus à la divine Providence, pour être aſſurés que ces monumens ſacrés nous ſont parvenus dans leur intégrité? (*Ibid. pag.* 101.)

PROPOSITIO III.

Facta quæ in Novi Teſtamenti libris narrantur, omnimodam fidem ſibi vindicant.

Prob. Facta illa omnimodam fidem ſibi vindicant a quibus omnem falſitatis ſuſpicionem removent vel ſeverioris critices regulæ: atqui ita ſe habent facta evangelica. Factorum enim hiſtoricorum veritas ex tribus æſtimari ſolet. 1. Ex conditione & dotibus ſcriptorum; 2. ex ipſorum factorum natura; 3. ex modo quo referuntur: atqui hæc tria ſimul conjuncta factis evangelicis eam fidem conciliant, qua major dari non poteſt.

Prob. 1. pars: cum ſcriptores numero plures ea facta referunt, quorum vel teſtes oculati fuerunt vel ipſis coævi, & pro quibus aſſerendis vitam fortiter abjecerunt; cumque ea eſt ipſorum conditio & indoles, quæ omnem fraudis ſuſpicionem removeat; profecto ex ſcriptorum parte nutare non poteſt fides hiſtorica: atqui ejuſmodi ſunt ſcriptores Evangelici.

1. Quidem fuerunt numero plures, & factorum quæ narrant vel teſtes oculati, vel ipſis coævi. Namque octo ſunt, nempe Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Paulus, Petrus,

Jacobus, & Judas; ex iis autem quinque, ſcilicet Matthæus, Joannes, Petrus, Jacobus & Judas erant Chriſti Diſcipuli, cum ipſo vixere, ac proinde fuerunt teſtes oculati. *Quod vidimus oculis noſtris*, inquit Joannes, *quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ, ... & teſtamur, & annuntiamus vobis.* (1. *Ep. cap.* 1. *v.* 2. 3.) *Qui vidit teſtimonium perhibuit.* (*Joan.* 19. 35.) Tres vero alii, nimirum Lucas, Marcus, & Paulus fuerunt illis factis coævi, in regionibus ubi vixerat Chriſtus nati; millies audierant Apoſtolos, & alios geſtorum & miraculorum Chriſti teſtes; ergo 1. facta evangelica a pluribus referuntur Scriptoribus, qui fuerunt vel teſtes oculati, vel factis coævi.

2. Eorum conditio, indoles, mores omnem fraudis ſuſpicionem repellunt: erant enim homines ex infima plebe, pauperes, illitterati, rudes, inculti, tardioris ingenii, quibus proinde univerſum orbem decipiendi conſilium ridicule & abſurde affingeretur. Morum integritate & innocentia ita fuerunt conſpicui, ut nullum in ipſis vitium reprehendere potuerint Celſus, Porphirius, & alii Religionis Chriſtianæ hoſtes acerrimi. Doctrinam ſanam, a dolis & mendaciis prorſus alienam prædicant; in ipſis eminet mirus animi candor & ſingularis modeſtia; ſuos nævos ingenue produnt, & confitentur; ſuam animi imbecillitatem, ambitioſas contentiones inter ſe olim exortas, incredulitatem ſibi a Chriſto non ſemel exprobratam. Denique bona temporalia ſpernebant, cum ſuis omnibus propter Chriſtum valedixerint, & pro confirmanda factorum evangelicorum veritate ſanguinem ſuum effuderint: atqui nemo ſanus dixerit, hujuſmodi Scriptores ad fraudem concinnandam eſſe comparatos.

Prob. 2. pars, quæ factorum evangelicorum naturam ſpectat: facta graviſſimi momenti, diuturna, publica, ſenſibus obvia, & ab

iis admiſſa, quorum maxime interfuit ea pernegare, nequeunt in falſitatis ſuſpicionem venire: atqui hujuſmodi ſunt facta evangelica.

1. Equidem ſunt graviſſima, & proinde ad excitandam attentionem aptiſſima: agitur enim de nova Religione inſtituenda, quæ myſteria rationi impervia, & morum præcepta cupiditatibus maxime ingrata proponit; agitur de abroganda Religione Judaica, de convellenda Ethnica ſuperſtitione; agitur de innumeris prodigiis, de cæcis videntibus, de mutis loquentibus, de ſurdis audientibus, de claudis ambulantibus, de ejectis dæmonibus, de mortuis ad vitam revocatis: atqui omnia hæc facta graviſſima eſſe nemo negaverit.

2. Facta illa, ſive miracula, diuturna fuerunt & publica, non uno vel altero momento edita, ſed toto illo tempore, quo Chriſtus & Apoſtoli Evangelium prædicarunt: non clanculum & coram paucis teſtibus; ſed in media Hieroſolyma, in templo, in Judæa, in Samaria, coram immenſa hominum multitudine peracta ſunt.

3. Ita erant ſenſibus obvia, ut ne infantes quidem circa illa decipi potuerint. Quis enim ſibi perſuadeat ſe maris fluctus calcaſſe incolumem; ſe cum multis hominum millibus ſaturatum fuiſſe paucis panibus & piſciculis; ſe propriis oculis conſpexiſſe Lazarum in tumulo mortuum & poſtea vitæ reſtitutum; ſe Chriſtum a mortuis redivivum, ſecum ambulantem, comedentem, colloquentem vidiſſe, ſi nihil horum omnium viderit? Quis crediderit ſe miracula patraſſe, donum linguarum accepiſſe, ſi nihil eorum contigerit?

4. Facta, ſive miracula evangelica, ab iis fuerunt admiſſa quorum maxime interfuit ea pernegare, nempe a Phariſæis, infenſiſſimis illis Chriſti hoſtibus: de ipſo enim ſic teſtantur: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.*

eum. (*Joan.* 11. *v.* 47. *&* 48.) Ergo hujuſmodi ſunt facta evangelica, ut ſacris ſcriptoribus fidem plurimam concilient.

Prob. 3. pars: nempe ad factis evangelicis fidem aſſerendam, maxime accommodatum eſſe modum quo referuntur. Nonniſi enim ſinceritatem, ingenuumque animi candorem ſpirat; facta vel ſplendidiſſima, cum ea ſermonis ſimplicitate referunt ſcriptores ſacri, quæ omnem fraudis ſuſpicionem removet. Nefandam Chriſti mortem placido ſedatoque animo narrant; *Ibi*, inquiunt, *crucifixerunt eum*. In eos a quibus vexati fuerant, nulla jactant convicia, imo nihil querimoniæ ſibi permittunt; ſed omnia nude, ſimpliciter placideque commemorant. Circumſtantias omnes loci, temporis, perſonarum, fraudi, ſi qua eſſet, detegendæ aptiſſimas, deſcribunt. Appellant vicos, urbes, annum, menſem, diem; proferunt nomina teſtium coram quibus res geſtæ ſunt; ergo tum ſcribendi modus, tum ſcriptorum conditio, ingenium, mores, tum factorum quæ referuntur natura omnimodam narrationi evangelicæ fidem conciliant; ergo facta quæ in Novi Teſtamenti libris continentur certiſſima ſunt.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Scriptores Evangelici ſtylum ſimplicem & varios ſinceritatis characteres affectant, ut facilius fucum faciant, quod ipſis mendacibus ſatis familiare eſt; ergo ſimplex & ingenuus ſcribendi modus non probat veraces eſſe Apoſtolos.

Reſp. Neg. ant. Quia, ſi valeat iſtud argumentum, jam ruit omnis certitudo hiſtorica. Quæcumque enim in ſcriptoribus emineat ſinceritatis ſpecies, ſemper dici poterit hanc fictam eſſe & fucatam. Præterea vera eſt quæ in Apoſtolis elucet ingenuitas; tum quia nihil ipſis excidit quo dolus prodatur, quamquam alii poſt

alios

alios, & diverſis temporibus ſcripſerint; tum quia rudes erant tardioriſque ingenii, ut toties dictitant ipſimet Deiſtæ: atqui impoſſibile eſt ejuſmodi homines decipiendi conſilium ſub ementitæ ſinceritatis larva ſic occultaſſe, ut nullum fraudis indicium ipſis elapſum fuerit; tum quia pro confirmandis quæ narrant factis mortem alacres ſubiere: nemo quippe vitam pro mendaciis a ſe cognitis abjicit, ut ſic exponit illuſtriſſimus Lugdunenſis Archiepiſcopus.

La mort bravée par les Apôtres imprime à leur témoignage le dernier ſceau de la vérité. Nous conviendrons qu'un homme abuſé & affermi dans la ſéduction par le temps & par les préjugés, peut donner ſa vie pour de fauſſes opinions. La conſcience alors, quoique dans les tenebres, tient lieu de vérité & de lumiere .... mais que des ſectateurs, ſans intérêt, & ſans motif, ou pour la ſeule ſatisfaction de faire prévaloir l'impoſture, affrontent les horreurs du trépas, le cri de la conſcience, les menaces de Dieu.... c'eſt une eſpece de délire qui eſt contre la nature, & dont il n'y a pas de traces dans l'hiſtoire. (*pag.* 103. *édit. in* 4.)

Objic. 2. Sinceritas Apoſtolorum ex eo maxime colligitur, quod nullam ex ſua fraude utilitatem ſibi adpromittere potuerint: atqui propriam gloriam, aliamve mercedem ſperare potuerunt, quamvis ſua eos ſpes deluſerit; ergo, &c.

℞ Reſp. Neg. min. 1. Quia Apoſtolos fuiſſe laudis humanæ cupidos ipſimet Pagani nunquam objecere. 2. Quia toti ſunt in commendandis humilitate, patientia, rerumque temporalium contemptu. 3. Quia, ſi de factis quæ narrant non fuerint certi, nulla potuit ipſis ſpes affulgere genus humanum ad ſe pertrahendi, huicque confictas tot fabulas perſuadendi. 4. Quia ſi nominis celebritatem aliamve mercedem terrenam quæſiviſſent, eam populis doctrinam & Religionem

nem propoſuiſſent, quæ vulgaribus præjudiciis & cupiditatibus fuiſſet accommodata: atqui tamen auſtera prædicant dogmata, opinionibus & cupiditatibus, quæ tunc dominabantur, maxime contraria.

Objic. 3. Si quæ Apoſtoli narrant Chriſti miracula, eſſent certiſſima, Judæi omnes ad Religionem Chriſtianam convolaſſent: atqui tamen eam plerique rejecerunt; ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. 1. Enim veritates vel apertiſſimas aliquando rejici nemo neſcit, præſertim, cum opinionibus jam receptis, præjudiciis, conſuetudinibus, vel utilitati propriæ opponuntur. Hinc plerique Judæi, qui ex falſa opinione, Meſſiam potentiſſimum & triumphantem fore Principem ſibi fingebant, quique morbos die ſabbathi curare nefas eſſe exiſtimabant, Chriſtum tanquam impoſtorem, violatæ legis reum habuerunt, ipſiuſque miracula diabolo tribuerunt; hinc etiam Pontifices propriæ utilitati ſervientes, ſuoque in Chriſtum odio excæcati, ipſi nullam adhibendam eſſe fidem docuere.

2. Quamvis indubitata eſſent Moyſis miracula & ſub Judæorum oculis peracta; quamvis Deum inter tonitrua & fulgura imperantem audiiſſent, paucis tamen interjectis diebus, dum Moyſes tabulas legis acciperet, in Deum rebellarunt, vitulumque aureum adorare non veriti ſunt; pariter ergo potuerunt Judæi, Chriſti & Apoſtolorum miraculis, licet veriſſimis, refragari.

3. Si non omnes, permulti ſaltem Judæi Religionem Chriſtianam amplexi ſunt. Ex iis quinque millia, prædicante Petro, relictis Synagogæ caſtris, Chriſto nomen ſuum dederunt: atqui Judæi qui, ſuperatis præjudiciis, Chriſto ſeſe addixere, plus valent ad confirmandam factorum evangelicorum veritatem, quam ad eam infirmandam major reluctantium numerus. Numquid enim, dimiſſis legis Moſaicæ ritibus, quibus conſueti erant, in Eccleſiæ Chriſtianæ partes

tran-

tranſiiſſent, niſi eorum contumaciam fregiſſent ſplendida, quibus collucebat noſtra Religio, miracula?

4. Tandem illam Judæorum incredulitatem non ſemel prædixerant Prophetæ. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* (*Dan.* 9, 26.) Nedum igitur Chriſtianæ Religionis veritati quidquam detrahat Judæorum cæcitas, ipſam contra plurimum confirmat. Falſa enim eſſet, ſi eam omnes Judæi ſuſcepiſſent, quia ſuo exitu fraudarentur Prophetarum oracula.

Objic. 4. Chriſtiani non ſemel ficta narrarunt miracula, ut Religionem Chriſtianam magis credibilem efficerent, & commendarent; ergo idem de Apoſtolis ſuſpicari licet.

Reſp. Neg. conſeq. 1. Argumentum mox propoſitum non minus ridiculum eſt quam iſta: ex Hiſtoricis profanis multi fabulas narrant; ergo nulli hiſtoriæ fides debetur; in Galliis non deſunt nummi adulterini; ergo nullus eſt ſincerus. Si Chriſtiani quidam, plus æquo creduli, miracula fictitia commemorant, non ideo rejicienda ſunt divina; ſed utraque, juxta ſanæ critices regulas, diligenter excutienda ſunt; tuncque compertum erit Chriſti miracula eſſe inconcuſſa, prodigia vero falſa nullis inniti probationibus. Idcirco Chriſtiani ſapientiores doctioreſque commentitia quædam miracula, a viris ſuperſtitioſis invecta, nonnullaſque hiſtorias fabuloſas, admota critices face, exploſerunt.

2. Abſurde prorſus diceretur a Scriptoribus Evangelicis conficta eſſe miracula, ut Religionem Chriſtianam facilius perſuaderent; tum quia fraus illa ſtare non poteſt cum ea ſinceritate, quæ in Apoſtolorum verbis & factis elucet, ut liquet ex dictis; tum quia ſi exiſtimaſſent licitum eſſe in Religionis gratiam mentiri, ut ipſius veritas in animos facilius admitteretur, cur in Evangeliis multa occurrunt cupiditatibus ingrata, quæ a Religione ſuſcipienda deterrere poſſunt? Præterea ſi ficta miracula voluiſſent ob-

obtrudere, numquid ea retuliſſent ut publica, utque omnibus Judææ habitatoribus notiſſima? Numquid locorum, temporum & perſonarum circumſtantias deſcripſiſſent, unde fraus omnibus ſtatim patuiſſet?

Objic. 5. Perierunt ſcripta, quibus olim Philoſophi gentiles facta evangelica impugnabant. Ex iis non ſuperſunt niſi fragmenta quædam apud Patres, a quibus haud dubie mutilata ſunt. Jam vero, ſi exiſterent veterum Philoſophorum monumenta; forte Apoſtolorum mendacia in apertam lucem proferrent.

Reſp. 1. Si hujuſmodi conjectationibus convellatur veritas factorum, quæ omni argumentorum genere demonſtrata ſunt, jam in tota hiſtoria nihil erit certi. Quibuſcumque enim probationibus facta quædam muniantur, reſpondere poterit contumax aliquis incredulus, deperditos fuiſſe libros, quibus hæc facta impugnantur.

2. Philoſophorum gentilium ſcripta, non eſt quod tantopere extollant Deiſtæ: dum enim adhuc extarent, homines pene innumeri, factorum evangelicorum veritate perculſi, Religioni Chriſtianæ nomen dabant, quamvis naturæ corruptæ ſit maxime ingrata, & pro ea defendenda ad martyrium convolabant; non tanto igitur pretio erant Philoſophorum opera, nec Apoſtolos mendacii convincebant.

3. Cum temporum injuria perierint illi Philophorum libri, quid in ipſis ſcriptum fuerit divinare non poſſunt Deiſtæ; quo igitur jure aſſerunt, iis libris, ſi exiſterent, plurimum imminuendam eſſe Evangeliorum auctoritatem?

4. Argumenta Paganorum quæ a SS. Patribus referuntur, ſimul & refelluntur, non minus ſubtilia ſunt, quam ea quæ ab hodiernis Deiſtis proponuntur; cur ergo ea fuiſſe a SS. Doctoribus truncata tam confidenter affirmant?

Objic. 6. Facta evangelica non alia firman-

tur

tur auctoritate, quam Evangeliſtarum, qui Chriſti fuerant Diſcipuli & amici, quique in propria cauſa non ſunt audiendi: ergo facta illa non ſunt certa.

Reſp. 1. Etſi ſola Evangeliſtarum auctoritate niterentur facta evangelica, nihilominus eſſent indubitata. Octo enim ſunt, ut jam diximus, Scriptores coævi qui ea referunt, & qui apertiſſimos ſinceritatis characteres præ ſe ferunt. Vix autem ullam reperias hiſtoriam profanam, quæ tot ſibi vindicet auctores coævos, tantaque fide dignos.

2. Non ideo ipſis fides eſt deneganda, quod fuerint Chriſti Diſcipuli & amici. Numquid enim Hiſtoriæ Græcæ, Romanæ, in falſitatis ſuſpicionem veniunt, quamvis ab indigenis, nempe a Græcis & Romanis ſcriptæ fuerint, qui patriæ ſuæ erant amantiſſimi? Præterea cur Chriſto, tanquam magiſtro, firmiter adhæſerunt Apoſtoli? cur pro eo vitam abjecerunt? nonne quia ipſis comperta erat miraculorum veritas?

3. Hæc miracula non Evangeliſtæ duntaxat & Chriſtiani admiſere, ſed & ipſi Pagani, infenſiſſimique Religionis Chriſtianæ hoſtes: qua de re conſule librum cui titulus: *La vérité de la Religion Chrétienne prouvée par les faits, par l'Abbé Houteville, tom. 2. pag.* 124. & *la Religion Chrétienne autoriſée par le témoignage des anciens Auteurs païens. Les Païens eux mêmes*, inquit Archiepiſcopus Lugdunenſis, *n'ont pas oſé conteſter les miracles de Jeſus-Chriſt. Celſe, qui a attaqué la Religion avec tant de malignité & d'artifice, n'a jamais entrepris de les nier; Julien tâche de les déprimer; mais il ne les révoque pas en doute; & dès que leur certitude en a impoſé à ces ennemis implacables du Chriſtianiſme, de quel front les incrédules modernes, prétendent-ils être plus éclairés, & faire prévaloir leur ſeule témérité ſur dix-ſept ſiecles de reſpect & de preſcription?* (*pag.* 110.

Objic. 7. Illi nullam merentur fidem, qui potue-

tuerunt decipi: atqui Scriptores Evangelici, &c. Potuit enim Chriſtus eſſe medicus 1. peritiſſimus, qui plurimos morbos aliis inſanabiles depelleret; 2. calidiſſimus, qui artem ſuam ipſiſmet Diſcipulis occultaret; ita ut ſanationes illas pro totidem miraculis habuerint, quamvis naturæ vires non ſuperarent; ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Fingunt adverſarii decipi potuiſſe Apoſtolos, quia forte Chriſtus occulta quædam remedia ægrotis furtim applicabat, eos ſolo voluntatis ſuæ imperio ſanari exterius ſimulando: atqui ridicula eſt hujuſmodi conjectatio. 1. Quia Chriſtus fuiſſet impoſtorum omnium vaferrimus; atrocem autem hanc calumniam ſatis propulſant, tum ejus doctrinæ ſublimitas, ſanctitas, excellentia, tum morum integritas vitæque innocentia; tum ipſa mors quam in ſuæ miſſionis divinæ confirmationem ſponte pertulit. 2. Ægroti quos ſanabat Chriſtus, in priſtinum ſtatum illico reſtituebantur: atqui ſi remedia quædam naturalia clam adhibuiſſet, nonniſi lente & ſenſim convaluiſſent: ſic enim agere natura conſuevit. 3. Numquid Phariſæi aliique Chriſti hoſtes infenſiſſimi, ipſius in curandis ægrotis fraudem non advertiſſent? Dolum detegere eo facilius erat quod non clanculum, ſed palam ægros ſanaret. 4. Si potuerint Apoſtoli circa mirabiles quas operabatur Chriſtus ſanationes decipi, certe illud de iis dici non poteſt, quas ipſi in nomine ejus peragebant. Numquid ignorarunt, utrum remedia adhiberent, necne? ergo, &c.

COROLLARIUM.

Ergo Religio Chriſtiana divinitus revelata eſt.

NUlla enim ſunt divinæ revelationis argumenta ſplendidiora, quam miracula & Prophetiæ: atqui veris miraculis & Prophetiis firmatur Religio Chriſtiana, ut conſtat ex Novi Teſtamenti libris quos authenticos, integros & veraces

eſſe

eſſe demonſtravimus; ergo Religio Chriſtiana divinitus revelata eſt, ac proinde divina & vera.

Tanti momenti veritas plurimis confirmatur argumentis, ex quibus ea ſeligemus quæ debellandæ incredulorum pervivaciæ videntur aptiora. Aliæ probationes quærendæ ſunt apud eos Scriptores qui Religionem Chriſtianam a Sophiſtarum argutiis & calumniis de induſtria vindicarunt.

A R G. I.

Ex Chriſti & Apoſtolorum miraculis.

ILla Religio vera eſt, quam Chriſtus ipſius inſtitutor veris confirmavit miraculis: atqui Chriſtus Religionis noſtræ auctor, eam, &c. ut patet ex Novi Teſtamenti libris, quorum integritatem & veritatem vindicavimus. Jubente enim Chriſto, aqua in vinum convertitur, morbi vel contumaciores aufugiunt, cæci vident, ſurdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, paralytici ſanantur, dæmones ejiciuntur; mortui ad vitam redeunt, panes multiplicantur, horrenda maris tempeſtas ſedatur; Chriſto moriente, velum templi ſcinditur, terra contremiſcit, ſaxa confringuntur, monumenta reſerantur, Sanctorum corpora ſuis e tumulis proſiliunt, ſol inſolitam eclipſim patitur. Ipſe Chriſtus mortuus ad vitam ſeſe revocat, cælos conſcendit, Spiritum Sanctum ſuos in Diſcipulos effundit: atqui ſtupenda hæc opera vera ſunt miracula; ſiquidem totius naturæ creatæ vires ſuperant.

Nec confugiant Deiſtæ ad incognitas quaſdam naturæ leges, ex quibus ortum habuerint hujuſmodi prodigia. Chriſtus enim variis in locis, variis temporibus, variiſque modis innumera edidit miracula; neceſſe igitur fuit ut leges illas, quas in naturæ ſinu reconditas fingunt adverſarii, perfecte noverit, ut eas ſuo nutu &

ar-

arbitrio ad quemlibet uſum flectere potuerit ; atqui tanta cognitio, tantaque potentia verum eſſet miraculum, intimumque cum Deo commercium demonſtraret.

Apoſtoli etiam, mirabiles illi Chriſti Præcones & Vicarii, novum Chriſtianæ Religioni ſplendorem addunt, inſignia patrando miracula, & quidem, invocato Chriſti nomine. Ex innumeris pauca referemus: S. Petrus hominem *ex utero matris ſuæ annorum amplius quadraginta* claudum ſanat; paralytico *ab annis octo jacenti in grabato* facilem membrorum uſum reſtituit. (*Act.* 3. 4. 9.) Tabytham a mortuis ſuſcitat; Ananiæ & Saphiræ mendacium repentina morte plectit, & quidem ſolo ipſius imperio; (*Ibid.* 9. 5.) ægroti in plateis expoſiti ſola ejuſdem umbra *liberantur ab infirmitatibus ſuis*. (*Ibid.* 5.) Sic etiam Paulus Barjeſum, magum inſignem, coram Proconſule Sergio ſubita cæcitate afficit; (*Ibid.* 13.) claudum Liſtris ſanat; juvenem gravi caſu oppreſſum ad vitam revocat. (*Ibid.* 13. 14.) Adeo ſtupenda ſunt quæ operantur prodigia, ut eum Pagani tanquam Deum venerarentur, & ſacrificium, niſi obſtitiſſet, ipſi obtuliſſent.

Solvuntur objecta.

Objic. cum cive Genevenſi in opere cui titulus: *Lettres écrites de la Montagne*. Hæc probatio non valet, quam Chriſtus ipſe adhibere noluit in ſuæ miſſionis & doctrinæ confirmationem: atqui Chriſtus ipſe ſua miracula noluit afferre in, &c. ergo, &c.

Reſp. Neg. min. Scriptor enim Genevenſis contra ipſam evidentiam pugnat, vixque poteſt malæ fidei notam effugere. Ex innumeris quippe Scripturæ locis compertum eſt Chriſtum ad ſua opera & miracula confugere, ut ſuæ miſſionis & doctrinæ veritatem confirmet: *Ego habeo*, inquit, *teſtimonium majus Joanne*. Quoddam

a 2-

autem illud eſt? *Ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* (*Joan.* 5. 36.) Pharifæos ipſi fidem detrectantes ſic increpat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* (*Ibid. cap.* 10. *v.* 38.) Sic etiam narratur: *Circumdederunt eum Judæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.* Quid reſpondet Chriſtus? *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* (*Ibid. v.* 24. & 25.) Sexcenta hujuſmodi loca prætermittimus.

Inſt. 1. Sic pronunciat Chriſtus: *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die* (*Ibid. cap.* 12. *v.* 48.); ergo verbum Dei, non vero miracula, incredulos judicabit.

Reſp. Neg. conſeq. Judicabit quidem ſermo Dei incredulos, qui ipſi fidem detrectaverint, at ſermo miraculis confirmatus, & aliis argumentis, quibus divinam ſuam legationem demonſtravit: ſic enim ipſe teſtatur: *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* (*Ibid.* 15. 24.)

Inſtab. 2. cum eodem: Conſueverat Chriſtus ab iis fidem exigere in quorum gratiam erat miraculum operaturus; *Fides tua*, inquit, *te ſalvum fecit*; (*Marc.* 10. 52.) ergo mens ipſi non fuit miraculis fidem probare.

Reſp. Neg. conſeq. Cum enim Chriſtus multa jam edidiſſet miracula, quæ divinam ſuam miſſionem ſatis ſuperque demonſtrabant, potuit fidem ab iis exigere in quibus ſanandis prodigia erat facturus.

Inſtab. 3. Chriſtus non ſemel prohibuit ne ægroti quos ſanaverat, illud miraculum promulgarent. Exempli gratia, duobus cæcis quibus viſum reſtituerat, ſic *comminatus eſt: videte ne quis ſciat*, (*Matth.* 9. 30.) ergo ſuam miſſionem & doctrinam miraculis noluit confirmare.

Reſp.

Reſp. Neg. conſ. Ex eo quod enim quibuſdam ægrotis Chriſtus præceperit, ut acceptum ſanationis beneficium ſilentio premerent, perperam omnino concluditur eum nunquam voluiſſe miſſionem ſuam miraculis certam facere. Nonne alia bene multa palam miracula patraverat, quæ hominum oculos & aures effugere non potuerunt? Nonne ex dictis conſtat eum opera ſua in ſuæ miſſionis confirmatione protuliſſe? Præterea diſcipuli Joannis Chriſtum ſic interrogant: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipſa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum; & reſpondens, dixit illis: euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis, quia cæci vident, claudi ambulant, &c.* (*Luc.* 7. v. 20. & *ſeq.*) Nonne ibi Chriſtus, ut in ſexcentis aliis locis, miracula ſua in miſſionis ſuæ teſtimonium allegat? Si quando igitur iis quos ſanaverat, ſilentium imperaverit, exemplo ſuo nos docere voluit, citra neceſſitatem non evulganda eſſe noſtra beneficia, ne ſuperbia corrumpantur & vitientur.

Præterea quaſdam ob cauſas & circumſtantias ſpeciales ita ſe geſſit. Sic forte duobus cæcis prohibuit ne beneficium ab eo receptum publicarent, propter miraculi obſcuritatem, quod domi intra privatos parietes fuerat patratum. Periculum enim erat, ne dolum aliquem ſuſpicarentur ipſius obtrectatores. Voluit igitur omnem calumniæ occaſionem, indicto ſilentio, præcidere, certus aliunde miracula quæ jam palam fecerat, & quotidie operabatur, ſatis eſſe ad ſuam auctoritatem muniendam.

Inſt. 4. Chriſtus miracula poſtulantibus aliquando denegavit, ut Herodi & Phariſæis; ergo miraculis ſuam miſſionem teſtari noluit.

Reſp. Neg. conſeq. Potuit enim Chriſtus miſſionem ſuam miraculis comprobare, & tamen nonnullis ea poſtulantibus aliquando denegare. 1. Quia pravis affectibus hoc beneficio indignos ſe-

ſe præbuerant. Noverat enim Chriſtus eos miracula non quærere, niſi vel ut vanam curioſitatem paſcerent, vel ut inde inſidias ipſi moliendi occaſionem arriperent. Sic enim legitur: *Exierunt Phariſæi, & cæperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cælo, tentantes eum*. (*Marc*. 8. 11.) 2. Quia multa miracula jam aut viderant, aut certa ex fama cognoverant, & nihilominus in ſua incredulitate contumaciter hærebant. Numquid hominibus tum male affectis debuit Chriſtus nova prodigia, pro eorum arbitrio, concedere?

A R G. II.

Ex Prophetiis.

Illa Religio divina eſt, quæ veris ſtabilitur prophetiis, a Chriſto ejus inſtitutore editis: atqui Religio Chriſtiana, &c. plurimæ enim in libris evangelicis occurrunt. Duas tantum referemus, quarum altera ad Chriſtum ipſum; altera ad Judæorum calamitates pertinet.

Prophetiæ Chriſti ad ipſum pertinentes.

Suis Diſcipulis prædixit Chriſtus, a Judæis multa ſe perpeſſurum & morte damnandum, deinde Gentilibus tradendum, qui eum virgis cæderent, ludibrio haberent, cruci affigerent, & tertia die ad vitam ſe rediturum. *Ecce*, inquit, *aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget*. (*Matth*. 20.): atqui res eo modo eveniſſe quo prænuntiatæ fuerunt, ex libris evangelicis compertum eſt.

Porro hujuſmodi eventus nulla potuerunt humana ſagacitate prævideri, & præter communem expectationem contigerunt: nihil quippe

egit

egit Chriſtus quod vexationes illas provocaret; legis enim Moſaicæ cultorem religioſum ſeſe præbuit, ad eamque ſervandam alios hortabatur; Propheta erat verbis & operibus conſpicuus, qui ſuam omnem operam ad aliorum ſalutem conferebat; publicis gentis Judaicæ negotiis nunquam ſe immiſcuit; omnium virtutum exemplar fuit abſolutiſſimum. Quis igitur ſuſpicari potuiſſet eum tot probris afficiendum eſſe?

Prophetiæ quæ Judæorum calamitates ſpectant.

1. Templi excidium a Chriſto ſic prædictum narrat Matthæus: *Egreſſus Jeſus de templo ibat, & acceſſerunt Diſcipuli ejus ut oſtenderent ei ædificationes templi. Ipſe autem reſpondens dixit illis: Videtis hæc omnia. Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* (*Matth.* 24. *v.* 1. & 2.) Atqui accurate impletum fuit hoc vaticinium. Narrat enim Joſephus, poſt expugnatam a Tito urbem Jeroſolymam, nulla extitiſſe templi veſtigia. (*Lib.* 7. *cap.* 34. *de Bello Judaico.*) Apud eumdem hiſtoricum, Eleazar in ſermone ad judæos affirmat, diruta fuiſſe atque effoſſa ipſa templi fundamenta. (*ibid.*)

2. De urbe dixerat Chriſtus: *Venient dies in te; & circumdabunt te inimici tui vallo . . . & ad terram proſternent te . . . . . & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* (*Luc.* 19. 44.) Atqui prædictionem hanc ſuum conſecutam eſſe effectum ſic teſtatur Joſephus: *Illi qui urbem deſtruxerunt, æquarunt univerſum urbis circuitum, ut nulla remanſerint indicia, ex quibus accedentes poſſent agnoſcere urbem ibi antea fuiſſe.* (*Lib.* 7. *cap.* 1. *de Bello Jud.*)

3. Luctuoſi illius excidii circumſtantias deſcribit Chriſtus: ſcilicet tempus: *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.* (*Matth.* 19. 34.) Et revera poſt 36.

vel 37. annos hæc omnia contigere. Significavit etiam urbem eſſe obſidendam: *Circumdabunt te inimici tui vallo . . . . . & coanguſtabunt te undique*. (*Luc.* 19. 43.) Docet præterea cladem hanc a gente Ethnica inferendam eſſe: *Jeruſalem calcabitur a gentibus*. (*Ibid. cap.* 21. *v.* 24.) Atqui hæc ſingula eveniſſe teſtatur hiſtoria. Denique addit Chriſtus Judæos malis urgendos eſſe, qualia a mundi incunabulis non extitere: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet . . . . . .* (*Matth.* 24. 21.) Atqui horrendam hanc tribulationem expertos fuiſſe Judæos, conſtat ex iſtis Joſephi verbis: *Omnium poſt condita ſæcula res adverſæ, ſi cum eis conferantur, quæ Judæis contigerunt, longe ab iis ſuperari mihi videntur*. (*In proœmio*, *parag.* 4.)

4. Ea quæ cladem hanc conſecuta ſunt, non minus accurate prædixit Chriſtus, nempe Judæos eſſe alios gladio interimendos, alios e patria extorres fore, ſervituti addicendos: *Cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes*, (*Luc.* 21. 24.) Atqui prophetiam hanc ſuum habuiſſe exitum, patet ex hiſtoria Joſephi. Obſidionis enim tempore, tum ferro, tum fame perierunt undecies centena Judæorum millia, capta vero nonaginta ſeptem millia; quibus ſi adjunguntur qui antea, ſæviente hoc bello, jam occubuerant, ſumma erit, teſte Joſepho, 1337490. Poſtea Adriani Imperatoris temporibus, poſt ingentem Judæorum cladem, triſtes horum reliquiæ per univerſum orbem diſperſæ ſunt, & plerique vilium inſtar pecorum ſub haſta venditi fuerunt.

Dices: Potuit Chriſtus futuras Judæorum calamitates ex cauſis naturalibus prænoſcere. Ipſius enim tempore, Judæi omnibus erant odio & contemptui; tum quia unum colebant Deum; tum quia omne cum aliis gentibus commercium refugiebant. Noverat præterea Romanos, præpotentes illos Judæorum dominos, ipſorum ri-

ritibus eſſe inſenſiſſimos; potuit ergo ex iis circumſtantiis futura genti Judaicæ infortunia præſagire.

Reſp. Neg. ant. Neque enim ob gentis Judaicæ odium Hieroſolymam everterunt Romani; quinimo nihil omiſit Titus, ut Judæos ad obedientiam revocaret. Sæpe Joſephum ipſorum tribulem ad eos miſit, ut illos ad ſaniorem mentem adduceret. Ut templum ab incendio ſervaret, ſuam omnem contulit induſtriam; ignem, ſtatim atque emicuit, extinguere conatus eſt; vetuit ne quidquam in templum milites auderent. Præterea Judæis non multum cauſæ fuit cur in Romanos rebellarent; ſiquidem ſuis uti legibus permiſſum ipſis fuerat. Quantum Imperatoribus eſſent obſequioſi, quo tempore deſcriptas calamitates Chriſtus prænuntiabat, patet ex iſtis ipſorum verbis: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*; nulla ergo tunc erat rebellionis ſuſpicio. Denique eſto Chriſtus ex Judæorum ingenio ſibi perſpecto potuerit futuros tumultus, & cladem inde conſecuturam quodam modo præſagire; qua vero ſagacitate, ſi merus homo fuit, prænoſcere potuerat illius excidii circumſtantias tam multiplices, tamque ſingulares? quo pacto prævidere potuit illius belli conſectaria tam luctuoſa, ut nihil ſimile in hiſtoria reperias?

ARG. III.

Ex Chriſti Reſurrectione.

SI Chriſtus mortuus ad vitam vere redierit, ſua ſtat Religioni Chriſtianæ, ſuaque miſſioni Chriſti veritas & divinitas; fieri quippe non poteſt ut Deus, quem ſumme bonum & veracem nobiſcum agnoſcunt Deiſtæ, impoſtoris fraudem eo miraculo confirmaverit, quo nullum eſt ſplendidius: atqui Chriſtus mortuus ad vitam vere rediit. Factum enim illud

certiſſimum eſt, cujus teſtes nec decipi potuere, nec decipere voluerunt, nec etiam potuiſſent, ſi voluiſſent: atqui ita ſe habet Chriſti reſurrectio.

Prob. 1. pars: Teſtes plurimi ad credendum minime proclives, circa illud factum decipi non potuere, quod ipſis multoties, conjunctim & unanimi ſenſuum teſtimonio fuit manifeſtatum: atqui 1. multi fuere reſurrectionis Chriſti teſtes, ſiquidem *viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul, deinde Apoſtolis omnibus*. (2. *Cor*. 15. *v*. 6. & 7.) 2. Nimiæ credulitatis inſimulari non poſſunt reſurrectionis teſtes; eam quippe credere pertinaciter primo recuſarunt, ex ipſorumque narratione conſtat, eos omnem iſta de re ſpem abjeciſſe. Dum enim mulieres Chriſtum redivivum ipſis renuntiant, *viſa ſunt ante illos, ſicut deliramentum, verba iſta, & non crediderunt illis*. (*Luc*. 24. 11.) Deinde ipſimet Apoſtoli, vel etiam propriis oculis fidem non habent. Namque *ſtetit Jeſus in medio eorum .... conturbati vero .... exiſtimabant ſe ſpiritum videre, & dixit eis.... palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Adhuc autem illis non credentibus .... dixit: habetis hic aliquid quod manducetur? .... & cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis*. (*Luc. ibid*. 36. & *ſeq*.) ergo reſurrectionis teſtes nedum fuerint ad credendum proclives, nimia peccarunt diffidentia. 3. Non ſemel aut iterum, ſed multoties Chriſtum conſpexere redivivum; ſiquidem Apoſtolis *præbuit ſeipſum vivum, poſt paſſionem ſuam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*. (*Act*. 1. 3.) 4. Ex ſenſuum ſimul conſpirantium teſtimoniis Chriſtum a mortuis ſuſcitatum cognovere, nempe ex viſu, tactu & auditu. Namque, juxta narrationem Evangeliſtarum, eum ſæpius viderunt, allocuti ſunt, audierunt, ſanctiſſimamque ejus

car-

carnem propriis manibus contrectarunt. 5. Tandem teſtes illi non ſinguli tantum ſeorſim, ſed omnes ſimul Chriſtum ad vitam revocatum viderunt. *Pluſquam* enim *quingentis fratribus*, eodem in loco congregatis conſpiciendum ſeſe præbuit; ergo 1. decipi non potuere teſtes reſurrectionis.

Prob. 2. pars: ſcilicet eos decipere noluiſſe: manifeſtos enim ſinceritatis characteres præ ſe ferunt, ut conſtat ex dictis; præterea ab hominis natura prorſus alienum eſt, ſine ulla utilitatis ſpe, mendacium apertum, & factum cujus cognoſcitur falſitas, inter acerbiſſima tormenta teſtari, teſtimoniumque illud ſuo ſanguine obſignare: atqui, niſi Chriſtus reſurrexerit, Apoſtoli 1. factum cujus falſitatem noverant teſtati ſunt citra ullam emolumenti ſpem, tum ex parte Dei qui mendacium abhorret, & præſertim mendacium ita ſibi injurioſum, ut eum ſcelerati impoſtoris fautorem & patrem faciat; tum ex parte hominum a quibus nihil expectandum erat, præter contemptum, ſupplicia, mortemque ipſam; & ſi ita ſtupidi fuiſſent Apoſtoli, ut bonum aliquod temporale ex ſua fraude ſperarent, ab inſana illa credulitate eos liberaſſent eventus & experientia. 2. Factum illud inter acerbiſſimos cruciatus teſtati ſunt, & teſtimonium ſuo ſanguine firmarunt. Porro extiterunt quidem viri qui pro patria, pro Religione falſa, ſed quam veram exiſtimabant mortem ſubiere; ſed quempiam aſſignent Deiſtæ, qui mortem oppetierit, ut factum teſtaretur, cujus falſitatem compertam habuerit, ergo 2. decipere noluerunt teſtes reſurrectionis Chriſti.

Prob. 3. pars, ſcilicet eos decipere non potuiſſe, etiamſi voluiſſent. Ad decipiendum enim neceſſe erat, ut corpus Chriſti e tumulo tollerent: alioquin, oſtenſo Chriſti cadavere, fraus omnibus patuiſſet: atqui non potuerunt Apoſtoli corpus Chriſti tollere. Quo pacto enim id

obtinuiſſent? an vi adhibita, & milites Chriſti cuſtodes profligando? quis vero credat Apoſtolos adeo timidos, qui apprehenſum Dominum fuga deſeruerant, auſos fuiſſe cum armatis militibus congredi, ut quem vivum defendere noluerant, mortuum raperent? Præterea ſi illud tentaſſent, nonne ſtatim a Judæis fuiſſent ſupplicio damnati, propter tantum in auctoritatem publicam ſcelus?

An ſeductionem adhibuiſſent, cuſtodes oblata pecunia corrumpendo? ſed inopes erant, & omni gratia apud alios deſtituti; ſed veriſimile non eſt cuſtodes omnes officio ſuo defuiſſe, cum extrema omnia ex Judæis pertimeſcere deberent.

An per dolum & aſtutiam corpus Chriſti ſubripuiſſent, dormientibus ſcilicet cuſtodibus, ut finxerunt Judæi? ſed incredibile eſt omnes cuſtodes ita gravi ſomno fuiſſe oppreſſos, ut nullus ſtrepitu fuerit excitatus; frangendum quippe erat ſigillum, & revolvendus lapis ingentiſſimus.

An vigilantiam cuſtodum fallendo corpus furtim ſuſtulere, monumentum ſcilicet per effoſſam humum ſubeundo? ſed tumulus fuerat in rupe exciſus, in quem proinde per cuniculos ſeſe proripere non potuiſſent diſcipuli ſine immenſis laboribus, & ſine magno ſtrepitu. Præterea lapis non fuiſſet fracto ſigillo amotus, quod tamen teſtatur Scriptura; ergo neque per aſtutiam, neque per vim, neque per ſeductionem corpus Chriſti auferre potuerunt Apoſtoli; ergo illud non ſuſtulerunt, ac proinde non potuerunt decipere; etiamſi voluiſſent; aliunde nec decipere voluerunt, nec potuere decipi; nullum eſt igitur factum Chriſti reſurrectione certius; eaque, tanquam fundamento inconcuſſo, nititur Religionis Chriſtianæ divinitas.

De Chriſti reſurrectione conſulendi ſunt præſertim *Ditton*, *Sherlock*, & *Weſt*, qui illius ve-

veritatem adverſus incredulos fortiter vindicarunt.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Non conſtat viſum eſſe a diſcipulis verum Chriſti corpus, quod cruci affixum, in tumuloque depoſitum fuerat: ex Evangeliſtarum enim narratione, Chriſtus ſic apparuit, ut merum phantaſma exhibuerit. Sic teſte Luca, *Ipſe evanuit ex oculis eorum*; (*Cap.* 24. 31.) ergo non valet Apoſtolorum teſtimonium.

Reſp. Neg. ant. Quibus enim argumentis certi ſumus hunc vel illum hominem, eum eſſe quem heri vidimus, iiſdem, nempe viſu, tactu, auditu, conſtare potuit, a diſcipulis conſpectum eſſe Chriſti corpus, quod ſepulcro conditum fuerat: ad omnem quippe phantaſmatis ſuſpicionem amovendam, Apoſtolis permittit Chriſtus, ut manus & pedes ipſius contrectent; cum iis menſæ aſſidet, manducat, & reliquias ipſis porrigit. Quod apud Lucam dicitur, Chriſtum ex diſcipulorum oculis *evanuiſſe*, id unum ſignificat, nempe eum ex viſibili factum eſſe inviſibilem, ut fert textus Græcus, quem ita vertit Henricus Stephanus: *conſpici ab illis deſiit*. Quis autem dubitat corpus, licet verum & ſolidum, ab oculis ſubduci ſtatim poſſe?

Objic. 2. Contingere potuit ut diabolus corpus Chriſti in locum ſecretiſſimum celeriter transferret, unde ſibi facile perſuaſerunt Apoſtoli Chriſtum eſſe a mortuis ſuſcitatum; ergo decipi potuerunt Apoſtoli.

Reſp. Neg. ant. & hypotheſim: pugnat enim 1. cum ſumma Dei veritate & ſapientia, qui permittere non potuit, ut diabolus per ſimile prodigium Apoſtolos in errorem inſuperabilem, & in orbe univerſo mox diſſeminandum, induceret; 2. cum diaboli ingenio qui non potuit velle patrocinari Chriſtianæ Religio-

ni cujus ſanctitas ipſi ſummopere diſplicet.

Objic. 3. Illud teſtimonium non valet quod pugnat cum prædictione Chriſti: atqui teſtimonium Evangeliſtarum, &c. Chriſtus enim prænuntiaverat ſe tertia die reſurrecturum: ſi tamen Evangeliſtis credatur, res aliter contigit; namque, juxta ipſorum narrationem Chriſtus die Veneris ad veſperam ſepultus eſt, & die Dominica ſummo mane jam ſepulcrum dimiſerat; ergo, &c.

Reſp. Diſt. min. Verba enim Chriſti de tribus integris diebus non ſunt intelligenda; eum quippe loquendi modum uſurpavit, qui Judæis erat familiaris; ſolent autem Judæi, cum aliquem vel dierum vel annorum numerum computant, primum & ultimum in eo includere, nulla habita ratione horæ; ex. cauſa, octavo ab ortu die, puer quiſque erat circumcidendus; in illius autem numeri partes veniebant, tum navitatis, tum circumciſionis dies, quæcumque eſſet hora. Quod igitur ait Chriſtus: *Oportet filium hominis ...... die tertia reſurgere*, (*Luc.* 24. 7.) illud, inquam, accipiendum eſt quaſi diceret, *intra tres dies*: atqui res ita contigit: mortuus quippe eſt hora tertia veſpertina diei Veneris, & reſurrexit die Dominica; optime igitur conſentiunt Evangeliſtarum narratio, & Chriſti prædictio.

Objic. 4. Chriſtus ſuæ reſurrectionis teſtes ſelegit mulieres & Apoſtolos; ille autem delectus ſuſpicioni locum præbet.

Reſp. 1. Nedum ultra modum credulæ fuerint mulieres reſurrectionis teſtes, eam contra nonniſi difficile crediderunt, ut patet ex Evangeliſtis. Mulieres iiſdem, quibus homines, ſenſuum organis inſtructæ ſunt; in tribunalibus civilibus admittitur ipſarum teſtimonium; ut quid ergo nullius eſſet momenti ubi agitur de Chriſti reſurrectione? nonne factum eſt ſenſibile & oculis obvium? 2. Illud factum non ſolæ mulieres teſtantur, ſed omnes Apoſtoli;

nec Apoſtoli tantum, ſed alii teſtes permulti; quos nec decipi, nec decipere potuiſſe demonſtravimus. Apoſtolis facultatem conceſſit Deus teſtimonia ſua innumeris miraculis confirmandi, quo teſtimonio nullum eſſe poteſt luculentius, nullum auctoritate præſtantius.

Objic. 5. illud factum nullam meretur fidem quod pauci teſtes affirmant, alii autem numero plures negant: atqui reſurrectionem Chriſti pauci teſtes affirmant, nempe Apoſtoli; alii autem numero plures negant, nimirum cuſtodes, ergo, &c.

Reſp. 1. Diſt. maj. Si pars affirmans nec efficaciſſimis nitatur argumentis, nec eos habeat ſinceritatis characteres quibus caret pars negans, conc. ſecus, neg.

Itaque teſtes, juxta vulgare effatum, non tam numerandi ſunt, quam ponderandi. Si quod enim factum referant & affirment viri duo probi, tanquam oculati teſtes, & quorum intereſt illud inficiari, certe prævalere debent pluribus aliis teſtibus ſuſpectis, idem factum ex propria utilitate negantibus. Porro ſi quales fuerint ex utraque parte teſtes pauliſper attendatur, ſtatim compertum erit, quibuſnam ſit fides adhibenda. 1. In Apoſtolis eminent pietas, probitas, ſinceritas, ut liquet ex dictis; quis autem de militibus idem dicere auſit? 2. Apoſtolorum maxime intererat Chriſti reſurrectionem inficiari, ſi eam falſam noviſſent; ſic enim innumeris ſeſe ſubduxiſſent incommodis & ſuppliciis; contra vero milites ſpe lucri ad eam negandam facile adduci potuerunt; 3. ſplendidis miraculis ſuum teſtimonium confirmarunt Apoſtoli, minime vero milites.

Reſp. 2. Neg. min. 1. Enim ridicule prorſus teſtes dicerentur cuſtodes. Quo pacto ſcilicet cognoſcere potuerunt, corpus Chriſti ab ejus diſcipulis ſubreptum fuiſſe? ſiquidem, ut ipſimet aſſerunt, dormiebant. Numquid noſtris in tribuna-

nalibus quidquam valeret, ſimile teſtimonium?

2. Cuſtodes numero non ſuperant oculatos reſurrectionis Chriſti teſtes: non ſolum enim duodecim Apoſtoli, ſed etiam fratres pluſquam quingenti Chriſtum viderunt redivivum.

Objic. 6. Cum ſpeciatim ad Judæos Chriſtus mitteretur, ipſis & Synagogæ debuit ſuam reſurrectionem immediate manifeſtare: atqui tamen res non ita contigit; ergo, &c.

Reſp. 1. Ubi factum ita firmis comprobatur argumentis, ut nullus ſuperſit juſtæ dubitationi locus, alia poſtulari non debent argumenta. Quando in tribunalibus producti ſunt teſtes, qui ad facti veritatem adſtruendam ſufficiunt, nemo conqueritur alios non fuiſſe appellatos; ergo pariter cum reſurrectionis Chriſti teſtes protulerimus locupletiſſimos, & omni fide digniſſimos, perperam objiceretur alios non fuiſſe prolatos.

2. Ex ſepulcri cuſtodibus rei veritatem accipere, omnes Apoſtolos & alios teſtes integerrimos audire potuerunt Judæi; multiplex igitur ipſis via ſuppetebat, qua tuto pervenirent ad certam reſurrectionis Chriſti cognitionem; non potuere igitur merito conqueri, factum illud in occulto latuiſſe.

3. Suam reſurrectionem Chriſtus, tum Judæis, tum innumeris populis apertiſſime manifeſtavit per Apoſtolorum teſtimonia miraculis confirmata: ſtupenda enim quæ in Chriſti redivivi nomine patrarunt prodigia, non minus perſpicue factum illud Judæis, aliiſque populis demonſtrabant quam ſi propriis oculis Chriſtum vidiſſent ex mortuis ſuſcitatum.

4. Veriſimile eſt Judæos, etiamſi Chriſtum vidiſſent redivivum, in ſua incredulitate fuiſſe perſtituros: Lazarum enim mortuum & jam fœtentem propriis oculis viderant ad vitam revocatum, nec tamen crediderunt. Si ipſis conſpiciendum ſe præbuiſſet Chriſtus, merum phantaſma & ſpectrum a ſe viſum dixiſſent, quod

quod ipſorum oculis illuſerat; potuit igitur Chriſtus, qui Judæorum affectus noverat, novum illud ſuæ reſurrectionis argumentum ipſis non concedere.

5. Denique Synagoga nefando deicidii crimine, ſeſe tanto beneficio præbuerat indigniſſimam.

Objic. 7. Forte vivum adhuc erat corpus Chriſti cum illud e cruce ſuſtulit Joſeph ab Arimathæa, potuitque adhibitis remediis ſanari; deinde ejus loco cadaver aliud, vel ipſe Joſeph, vel Apoſtoli in ſepulcrum intulerunt.

Reſp. Pudeat incredulos fabulam confingere ita ridiculam, ut ne ipſi quidem Judæi eam excogitaverint. 1. Enim quæ ex perfoſſo Chriſti latere effluxit aqua, certiſſimum eſt, medicis judicibus, mortis ſignum. 2. Corpus Chriſti ita cuſtodierunt milites, ut neque vulnera ejus foveri potuiſſent, neque aliud cadaver ſubſtitui. 3. Numquid ſepulcrum obſignaſſent Judæi, niſi in eo jacere corpus Chriſti ipſis certum fuiſſet? 4. Cadaver tumulo conditum auferre non potuiſſe Apoſtolos demonſtravimus; illud igitur palam oſtendendo, Judæi Apoſtolorum mendacium publicam in lucem protuliſſent. 5. Quis crediderit Apoſtolos eam fraudem adhibuiſſe ex qua nihil utilitatis, ſed mortem tantum acerbiſſimam expectare poterant?

Objicies 8. Olim populum decepit Senator Romanus, a ſe viſum fuiſſe Romulum in cælos avolantem teſtando; quidni ergo pariter populis fucum facere potuerunt Apoſtoli?

Reſp. Neg. conſeq. & parit. 1. Enim prioris facti unus profertur teſtis, cujus id affirmare plurimi intererat, ad effugiendum ſcilicet populi odium, qui Romulum a Senatoribus interfectum fuiſſe vehementer ſuſpicabatur; poſterioris autem facti; nempe reſurrectionis Chriſti, plus quam quingenti teſtes fuerunt, qui illius veritatem ſuo ſanguine obſignarunt.

2. Quod a ſe viſum aſſerit, nullo probat ar-

gumento Senator Romanus; reſurrectionis vero Chriſti præcones, & ſplendidis miraculis & ipſa morte ſuum confirmant teſtimonium. 3. Facile fuit Romanis perſuadere, principem ſibi dilectiſſimum inter Superos ſedem obtinuiſſe; non potuit autem, niſi graviſſimis argumentis, adduci orbis univerſus, ut hominem coleret cruci affixum, ipſiuſque doctrinam cupiditatibus adeo ingratam amplecteretur.

ARGUMENTUM IV.

Ex Chriſtianæ Religionis propagatione.

Religio præjudiciis & cupiditatibus contraria, ſubſidiis humanis deſtituta, modis omnibus impugnata, & tamen per orbem univerſum celeriter diffuſa, non niſi Deum ſuæ propagationis autorem habere potuit: atqui ita ſe habet Religio Chriſtiana.

1. Quidem præjudiciis erat oppoſita: ſuadendum enim erat Judæis, ut ritus & ceremonias legis moſaicæ quibus erant addictiſſimi, deſererent; ut quem hominem, veluti nefarium impoſtorem, probroſa morte damnaverant, eumdem, tanquam Deum verum, genuinum Meſſiam, & generis humani liberatorem agnoſcerent: atqui nihil erat a Judæorum præjudiciis magis alienum. Suadendum erat paganis, ut tanquam inania ſimulacra rejicerent, quos hactenus coluerant Deos; ut eorum templa everterent; ut ſacrificia & ſuperſtitiones, quibus tot a ſeculis aſſueti erant, deteſtarentur; ut Jeſum Chriſtum cruci a Judæis affixum, tanquam verum Deum, adorarent: atqui hæc omnia receptiſſimis apud paganos, & longo ſæculorum tractu firmatis opinionibus ſummopere adverſabantur; ergo 1. Religio Chriſtiana præjudiciis erat oppoſitis.

2. Et cupiditatibus: nullibi enim vitio indulget, ſed omnibus bellum indicit? dura & auſtera

ſtera tradit præcepta, qualia ſunt motuum animi moderatio, corporis conflictatio, voluptatum contemptio, inimicorum dilectio, injuriarum condonatio, paupertatis amor, ſui deſpicatio, & alia multa, quæ naturam humanam exterrent. Bona quidem ſuis cultoribus promittit, ſed futura, ſed noſtris ſenſibus impervia; ergo 2. Religio Chriſtiana hominum quibus proponebatur cupiditates plurimum offendebat.

3. Humanis omnibus præſidiis fuit deſtituta. Hæc enim potiſſimum ſunt, quæ novæ doctrinæ gratiam conciliare poſſunt, ſcilicet naturales ipſius præconum dotes, emolumenti temporalis ſpes injecta, principum auctoritas: atqui omnibus his ſubſidiis caruit Religio Chriſtiana. Ipſius nimirum præcones ſunt duodecim piſcatores, nullis divitiis, nulla eloquentia, nulla apud homines auctoritate, nullis armis inſtructi; ſed ignobiles, illitterati, pauperes & fere nudi. Nulla boni temporalis promiſſione gentes alliciunt; ſuis ſectatoribus in hac vita nihil ſpondent, præter ignominiam, ærumnas, ſupplicia. Denique prioribus ſæculis, Principes non habuit patronos, ſed hoſtes ſibi infenſiſſimos experta eſt Religio Chriſtiana; ergo 3. &c.

4. Modis omnibus impugnata fuit. Statim ab ipſius incunabulis, in illius excidium conſpirarunt ubique vigens paganiſmus, Philoſophorum ſubtilitas, Rhetorum eloquentia, politicorum prudentia, populorum ſuperſtitio, ſacerdotum invidia, Judæorum perfidia, tyrannorum immanitas & omnia ſuppliciorum genera.

5. Generalis illa adverſus naſcentem Religionem Chriſtianam conjuratio non obſtitit, quominus per orbem univerſum celeriter ſeſe diffuderit. Tam ſtupendi progreſſus teſtis eſt Apoſtolus, qui ad Romanos ſcribit: *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* (*Rom.* 1. 8.) Teſtis eſt Plinius Aſiæ Proconſul qui, exeunte primo ſeculo, de Chriſtianis ita ſcribit ad Imperatorem Trajanum: *Neque civitates tantum, ſed vicos*

vicos etiam atque agros ſuperſtitionis hujus contagio pervagata eſt. (*Lib.* 10. *Ep.* 97.) Teſtis eſt Tertullianus qui ſæculo II. Romanos Imperatores ſic alloquitur: *Heſterni ſumus, & veſtra omnia implemus, urbes ..... caſtra ...... palatium, ſenatum, forum; ſola vobis relinquimus templa.* (*Apolog. cap.* 34.) Ergo 5. &c. ergo, &c.

Et vero tanta tamque repentina Religionis Chriſtianæ per orbem propagatio vel facta eſt per Apoſtolorum miracula; vel ſine miraculis. Si 1. dixeris; ergo in Religionis noſtræ gratiam miracula ediderunt Apoſtoli, ac proinde divina eſt: ſi 2. ergo miraculum fuit omnium maximum, religionem quæ ſuperanda habuit tot obſtacula, tam late celeriterque ab ignobilibus piſcatoribus diffuſam fuiſſe; ergo rurſum divina demonſtratur. *Si miracula facta eſſe non creditis*, inquit Auguſtinus, *hoc ..... unum grande miraculum ſufficit, quod terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.* (*Lib.* 22. *de civ. Dei, cap.* 5.)

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Illud veram & divinam eſſe Religionem non probat, quod falſis Religionibus, ipſiſque errori commune eſt: atqui propagationis celeritas, &c. ſiquidem Paganiſmus, Manhumetiſmus, Calviniſmus & Lutheraniſmus, celeres habuere progreſſus; ergo, &c.

Reſp. Diſt. min. Communis eſt, ſed diverſo modo, conc. eodem modo, neg.

Porro non ex ſola propagationis celeritate veram & divinam eſſe Religionem Chriſtianam colligimus; ſiquidem error aliquando promptius ſerpit, quam ipſa veritas: ſed noſtræ Religionis divinitatem ex eo concludimus, quod, licet præjudiciis & cupiditatibus ingrata, humanis omnibus præſidiis deſtituta, imo omnibus adverſus eam conjurantibus, orbem tamen uni-

univerſum tam cito invaſerit. Quod totam fere terram occupaverit Paganiſmus, nihil mirum eſt; cupiditates enim fovet, & innatæ ad libidinem propenſioni blanditur, & Principum auctoritate nitebatur.

Idem de Mahumetiſmo dicendum eſt. Nihil divini arguit illius propagatio. Hujus quippe inſtitutor eam bellando & occidendo, non perſuaſione, ſed armis victricibus, propagavit: contra vero Apoſtoli non interficiendo, ſed moriendo, Religionem Chriſtianam per totum fere orbem diffuderunt.

Pariter Religio Lutherana & Calviniana viis prorſus humanis ſuam aſſecuta eſt propagationem. Viros doctos & ipſos Principes habuit ſibi patronos. Aliunde molliora ipſius dogmata ingenitis cupiditatibus maxime ſunt accommodata. Clericis nempe conjugia permittunt, Religioſos ſuis liberant votis, peccatorum confeſſionem, jejunia & alia bene multa naturæ corruptæ importuna ſuſtulerunt; ergo nihil niſi humanum exhibet modus, quo præfatæ Religiones fuerunt propagatæ; contra vero nihil niſi divinum ſapit modus quo ſuos progreſſus obtinuit Religio Chriſtiana.

Inſtab. Religio Chriſtiana ſuos Imperatorum potentiæ edictiſque debuit progreſſus; ergo modo prorſus humano propagata eſt.

Reſp. Neg. ant. Tribus enim prioribus ſæculis, antequam Imperatores fierent Chriſtiani, igne, ferro & omni tormentorum genere vexati ſunt Chriſti diſcipuli; in eorum perniciem promulgata ſunt ſæviſſima Imperatorum edicta, ut omnibus notum eſt: atqui tamen tribus his ſæculis, totum fere orbem pervagata eſt Religio Chriſtiana, ut jam oſtendimus; ergo Imperatorum auctoritati tribuenda non eſt ipſius propagatio. Præterea quibuſnam Imperatorum edictis adſcribenda eſt ipſorum Principum & Regum converſio, qui Evangelii jugo ferocia colla ſubdidere, juſſi incendere quod prius ado-

adoraverant, & adorare quod incenderant?

Inſtab. Propagatio Religionis Chriſtianæ a Conſtantini Imperatoris ad fidem converſione ſponte exorta eſt, quia, ut ait Poeta. *Regis ad exemplum totus componitur orbis*; ergo Religio Chriſtiana ſuam Imperatorum auctoritati debet propagationem.

Reſp. Neg. ant. 1. Quia ante Conſtantinum qui primus Imperatorum Chriſto nomen dedit, longe lateque ſuos ramos extenderat Religio Chriſtiana, ut conſtat ex dictis. 2. Quia innumeræ extabant gentes quæ ſub Conſtantini ditione non erant conſtitutæ, quæque tamen, rejectis falſorum numinum ſimulacris, ad Chriſtianorum caſtra tranſierunt. 3. Nedum gentes plurimæ Principum exemplis ad fidem fuerint adductæ, e contrario, tribus ante Conſtantinum ſæculis, Imperatores minis, edictis, populos a Religione Chriſtiana, quantum in ſe erat, deterrebant.

Objic. 2. Tempore Chriſti & Apoſtolorum, orbis erat litteratus, idola ſordeſcere incipiebant, & falſorum numinum cultus, qui rationis eſt dedecus, ſuam in ruinam jam propendebat; ac proinde Religioni Chriſtianæ locum facile ceſſit; ergo in illius propagatione nihil eſt niſi humanum.

Reſp. 1. Quamvis orbis ad deſerendum idolorum cultum fuiſſet propenſus, non ideo tamen paratus erat ad eam Religionem ſuſcipiendam cujus auſtera ſunt dogmata, præjudiciis & cupiditatibus odioſa. 2. Temporibus Demoſthenis, Euripidis, &c. Græci non minus erant litteris exculti, quam Romani ætate Chriſti: atqui tamen in ridiculo idolorum cultu perſtiterunt. 3. Quæcumque fuerit, temporibus Chriſti & Apoſtolorum, orbis litteratura, certum eſt eam, nedum Religionis incrementis profuerit, adverſus ipſam totis viribus pugnaſſe. Quot enim Philoſophi, quot Oratores, quot eruditi contra fidem Chriſtianam dimicarunt! inſanus quidem

dem erat idolorum cultus, ſed aliter ſentiebant pagani ipſius ſuperſtitionibus dediti.

Objic. 3. Sufficiebat novitatis amor ad impellendos populos, ut Religionem Chriſtianam amplecterentur; ergo minime neceſſe eſt ad virtutem divinam confugere.

Reſp. Neg. ant. Novitatis enim amor homines non impellit, ut eam Religionem amplectantur, quæ ipſorum commodis & fortunæ plurimum nocet. Quis autem neſciat pleroſque paganos, qui Religionem Chriſtianam profitebantur, ſuis bonis fuiſſe exutos, ab officiiſque & dignitatibus Reipublicæ excluſos? Præterea novarum rerum cupiditas quoſdam quidem excitare poteſt, nequaquam vero permultas & univerſas gentes. Denique amor vitæ homines vehementius movet & potentius, quam novitatis ſtudium; quis ergo crediderit iſtud potuiſſe innumeros homines ad eam Religionem pertrahere, cujus diſcipuli tot cruciatibus mortique certiſſimæ erant obnoxii?

Objic. 4. Religionem Chriſtianam primum non ſuſcepit niſi plebs ignobilis & imperita, ut ipſe declarat Apoſtolus: *Videte enim vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*; (1. *Cor.* 1. 26.) ergo nihil habet divini Religionis Chriſtianæ propagatio.

Reſp. 1. Neg. ant. Quod dictitare ſolent increduli, nempe Religionis Chriſtianæ primitus non alios fuiſſe ſectatores, quam plebem imperitam & ignobilem, omnino falſum eſt. Dum enim Chriſtus ipſe degeret in terris, diſcipulos habuit genere, conditione, & doctrina conſpicuos, Nicodemum ſcilicet Judæorum Principem, (*Joan.* 3. *v.* 1. & 2.) Regulum quemdam Capharnaiticum, (*Ibid. cap.* 4. *v.* 46. & 53.) Jairum Synagogæ Principem, (*Luc.* 8. 41.) Lazarum & ſorores ejus. (*Joan.* 12.) Zacchæum Publicanorum Principem, (*Luc.*

19.

19. 2.) Centurionem, miraculorum quæ mortem Chriſti illuſtrarunt, teſtem oculatum, (*Matt.* 27. 54.) Joſephum ab Arimathæa nobilem Decurionem, (*Marc.* 15. 43.) & alios plures generatim tantum ab Evangeliſtis indicatos. *Ex Principibus Judæorum*, inquit Joannes, *multi crediderunt in eum.* (12. 42.) Paulo poſt Chriſti mortem, innumeri fidem amplexi ſunt, tum Judæi, tum gentiles, inter quos plurimi erant genere vel doctrina illuſtres.

Quamvis autem in ipſis Eccleſiæ incunabulis multi extiterint Chriſtiani genere & ſcientia nobiles, dicere tamen potuit Apoſtolus, *non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*; ſi nimirum ſpectetur immenſa credentium multitudo.

Reſp. 2. Neg. conſeq. Eſto fides Chriſtiana primum a plebeiis tantum hominibus ſuſcepta fuerit, non ideo nutabit argumentum ab illius propagatione deductum. Quis enim neſciat rudem plebeculam ſuæ Religioni, ſuis inſtitutis, ſuis moribus, non minus tenaciter adhærere, quam viros nobiles & eruditos? quo pacto igitur fieri potuit, ut homines imperiti & plebeii a falſorum numinum cultu, in quo nati fuerant & inſtituti, ad eam Religionem traducerentur, quæ cum ipſorum moribus, præjudiciis, cupiditatibus pugnabat, quæ eos duriſſimis vexationibus & mortis periculo exponebat? contingere profecto non potuit tam mirabilis animorum converſio, ſine certiſſimis argumentis, ſine ſplendidis miraculis, ſine potentiſſimo divinæ gratiæ auxilio.

ARG.

A R G. V.

Ex Martyrum fortitudine.

VEra eſt Religio Chriſtiana, ſi Martyrum in ea defendenda fortitudo, non ſit naturæ, ſed gratiæ & divinæ virtutis opus: atqui rem ita eſſe nemo ſanus dubitaverit, ſi Martyrum multitudinem, varia ſuppliciorum genera, & modum quo ea perpeſſi ſunt, conſideret.

1. Quidem hæc fortitudo non in paucis quos natura fortes & impavidos fecerit, eluxit; ſed in hominum pene infinita multitudine, cujuſcumque ætatis, ſexus & conditionis, in viris & mulierculis, in ſenibus & adoleſcentibus, in pueris & puellis, in nobilibus & ignobilibus, in doctis & rudibus. Quanta fuerit hæc multitudo probat perſecutionum numerus. Decem ſub Imperatoribus Ethnicis per tria Eccleſiæ priora ſæcula recenſentur. Sed omnium crudeliſſima, ſive temporis diuturnitate, ſive locorum amplitudine, ſive tormentorum atrocitate, fuit ſub Diocletiano ejuſque in Imperio collegis Maximiano & Galerio, quæ toto duravit decennio, & ab oriente in occidentem terram vaſtavit univerſam. Omnis ſexus & ætatis homines in flammas conjecti ſunt, & gregatim, præ nimia multitudine, ignibus conſumpti. Reddita per Conſtantinum pace, & ſedatis intra Imperium vexationibus, in Chriſtianos immaniter deſævit Sapor Rex Perſarum. Tum vero tot viri & mulieres martyrii palma nobilitati ſunt, ut, teſte Sozomeno, ii quorum nomina ſervabantur ab Eccleſia, ad ſexdecim millia pervenerint, & innumerabiles fuerint illi quorum nomina exciderant. (*Hiſtor. lib.* 2. *cap.* 14.)

Quod de immenſa Martyrum multitudine aſſerimus, in dubium revocare non ſinunt publica certiſſimaque monumenta. Id enim conſtat ex Imperatorum adverſus Chriſtianos edictis;

ex

ex ſcribarum publicorum commentariis, qui acta excipiebant, & a quibus exemplaria magno pretio extorquebant Chriſtiani; ex relatione tum Proconſulum qui ad Imperatores ejuſmodi acta mittebant, tum Confeſſorum qui ſuas ipſi res ſcribebant; tum fidelium qui Martyrum certaminibus adſuerant; denique ex Patrum pro Religione Criſtiana apologiis. Porro hæc monumenta conjunctim ſumpta omnem excludunt falſitatis ſuſpicionem. Hæc autem Martyrum fortitudo tam univerſalis, non naturæ, ſed divinæ virtuti tribuenda eſt.

2. Idem probant varia & acerbiſſima quibus vexati ſunt tormenta. Expugnandæ Martyrum conſtantiæ adeo cupidi erant Tyranni, ipſorumque miniſtri, ut certatim novum quoddam ſupplicii genus excogitarent, quo crudelius deſævirent. Ex Chriſtianis alii crucibus affixi; vel acutis ſtipitibus impoſiti erant; alii ad beſtias damnati, & ferarum pellibus contecti; cruentis canum dentibus laniandi objiciebantur; multi inſtar facium pice delibuti, in nocturni luminis uſum palam adhibebantur; plurimi admotis facibus incenſi vel prunis ſubjecti lento igne ſingulis in membris torquebantur. Denique fractis oſſibus, ruptis viſcerum compagibus, dilaceratis lateribus, jam nullus novis vulneribus ſupererat locus. Porro tanta ſupplicia tolerare, cum uno verbo ab iis te liberare facile ſit, humanæ non eſt naturæ ſibi ſoli permiſſæ.

3. Divinam & efficaciſſimam opem demonſtrat modus, quo tanta ſupplicia Martyres tolerabant. Coram Tyrannis ſtabant impavidi, plus damnari, quam abſolvi cupientes. Ad tormenta, quaſi ad victoriam, properabant alacres, & tacitam animi lætitiam in vultu præferentes. Ita comparatus fuit S. Ignatius, ut patet ex ſua ad Romanos epiſtola; ita Martyres Lugdunenſes, ut teſtatur Eccleſia Viennenſis; ita & alii Martyres affecti erant, ut in ipſorum

actis

actis legere eſt apud *Ruinart* : atqui ſenſus illos tantamque fortitudinem viribus humanis tribuere non licet, ſed efficaci omnipotentis Dei auxilio, qui ſuos athletas medio in certamine corroboravit, ergo ſive Martyrum multitudinem, ſive horrenda quæ perpeſſi ſunt tormenta, ſive modum quo ea tolerarunt, ſpectaveris; non poteris non confiteri, divinam eſſe Religionem pro qua tot illuſtres victimæ fortiter occubuerunt.

Solvuntur objecta.

Objic. 1. Qui fidei Chriſtianæ Martyres appellantur, ii, non Religionis, at ſeditionis & rebellionis cauſa interfecti ſunt; ergo in Religionis Chriſtianæ gratiam nihil probat quam oſtentas Martyrum multitudo.

Reſp. Neg. ant. 1. Quia ſi Chriſtiani fuerunt ſeditioſi, cur Legio Thebana quæ 6600. bellatorum complectebatur, non rebellavit? cur vim armis non repulit? cur tanquam agni mitiſſimi, armis depoſitis, ſeſe trucidandos obtulerunt? 2. Scribit Tertullianus Chriſtianos tanto fuiſſe numero, ut Romanum Imperium evertere facile potuiſſent, ſi adverſus Imperatores arma ſuſcepiſſent: atqui tamen ita erant a ſeditione alieni, ut mortem, licet acerbiſſimam, licet injuſtam, patienti animo tolerarent. 3. Varia Imperatorum edicta refert eruditus Bullet in opere cui titulus: *L'établiſſement de la Religion par les autres paiens* : atqui ex iis nullum occurrit in quo ſeditionis crimen objiciatur Chriſtianis; eam tantum ob cauſam damnati ſunt, quod Imperii Deos adorare, iiſque thura incendere detrectarent. 4. Illud a Martyribus Chriſtianis omnem removet ſeditionis & rebellionis ſuſpicionem, quod pro Imperatoribus, inter ipſa ſupplicia preces ultro funderent.

Objic. 2. Martyrum Chriſtianorum conſtantia tri-

tribuenda eſt vel ſtupiditati, vel inanis gloriæ cupidini, vel emolumenti cujuſdam temporalis ſpei, vel fanatico furori; ergo Religionis Chriſtianæ veritatem non probat.

Reſp. Neg. ant. quoad ſingulas partes 1. Quidem Martyrum conſtantia ſtupiditati perperam adſcriberetur: ex iis enim plurimi non minus eruditione & ingenio, quam morum ſanctitate inſignes fuerunt. Quis ſtupidos dicere auſit, Ignatium, Policarpum, Juſtinum, Irenæum, Cyprianum, &c. quorum in ſcriptis pariter elucent doctrina & pietas? Præterea quantumvis plumbei & hebetes fingantur homines, non ideo innatum omnibus vitæ amorem exuunt. Quo pacto igitur fieri potuit, ut homines innumeri eo ſtupiditatis venerint, ut ſine cauſa vitam inter acerbiſſimos cruciatus abjicerent?

2. Non minus abſurde inanis gloriæ cupidini tribueretur Martyrum fortitudo; tum quia prioribus Eccleſiæ ſæculis, nihil magis probro erat & dedecori, quam nomen Chriſtianum; tum quia paucos reperire eſt, quos ita moveat gloriæ deſiderium, ut pro ea conſequenda, nihil periculi refugiant; fieri ergo non potuit ut innumeri homines cujuſcumque ſexus, ætatis, conditionis, vanæ gloriolæ illecebris capti, duriſſimam mortem ſuſtinuerint; tum quia plerique Martyres ſperare non potuerunt, fore ut ſuum nomen ad poſteros tranſmitteretur: neque enim ignorabant, ex iis qui pro fide moriebantur, plurimos oblivioni tradendos, & inſigniores tantum famæ celebritatem eſſe conſecuturos.

3. Denique Martyres Chriſtianos non fecit furor quidam fanaticus: ſi enim aliquando contigerit, ut nonnulli homines fanatici, fervidæ imaginationis æſtu abrepti, pro defendendis opinionibus abſurdis vitam profuderint, brevi evanuit inſanus hic furor; nunquam ſimul eodemque tempore invaſit homines, lingua, moribus, locis a ſe invicem maxime disjunctos; plurimum igi-

igitur diſcrepat ab illorum Martyrum conſtantia, qui eodem tempore, per diverſas orbis partes pro fide ſtrenue occubuerunt. Præterea nihil a fanaticorum veſania magis alienum eſt, quam ea animi tranquillitas, & moderatio, quæ in Martyribus Chriſtianis longos inter cruciatus eluxit, ut conſtat ex ipſorum actis.

Objic. 3. Suos quæque Religio Martyres habuit; ſuos Pagani, ſuos Hæretici jactant; ac proinde nullius eſt roboris argumentum in gratiam Religionis ex Martyribus deductum.

Reſp. Inter Chriſtianos Martyres & alios plurimum eſt diſcriminis. Priores enim numero prope ſunt infiniti; alii vero pauci numerantur. Præterea Martyres qui primis ſæculis pro fide Chriſtiana moriebantur, maxima ex parte vel Judaicis ritibus, vel gentilium ſuperſtitionibus addicti fuerant; pro Religione ergo nova, eique oppoſita, in qua ab ortu inſtituti fuerant, tot cruciatus patiebantur; alii vero pro Religione avita, in qua nati fuerant & educati, occubuere. Denique Pagani & Hæretici Martyres pro dogmatibus & opinionibus ſpeculativis paſſi ſunt, in quibus facile deluditur & decipit imaginatio; Chriſtiani vero Martyres Eccleſiæ naſcentis tot ſupplicia perpeſſi ſunt, pro confirmandis factis ſenſibilibus & publicis, in quibus decipi non potuerunt; nempe affirmabant vera eſſe miracula, quæ a Religionis Chriſtianæ præconibus patrata fuerant, quorum teſtes ſeſe aſſerebant, & propter quæ fidem Chriſtianam ſuſceperant. Ita inter alios SS. Cyprianus, Juſtinus, Quadratus, &c. Numquid autem fieri poteſt, ut ingens hominum numerus pro mendaciis a ſe recognitis mortem adeat duriſſimam?

AR-

ARGUMENTUM VI.

Ex inconcuſſa perpetuaque Religionis Chriſtianæ ſtabilitate.

COnſtans Religionis Chriſtianæ duratio indubitatum eſt argumentum, eam divinitus inſtitutam eſſe, potentiſſimoque Dei præſidio circumſeptam. Quiſquis enim variarum, quæ diverſis temporibus prodierunt, Sectarum hiſtoriam animo perluſtraverit, is facile deprehendet eas, poſtquam plus minuſve celebritatis obtinuerunt, tandem extinctas eſſe & oblivione conſepultas. Eamdem fortunam ſi non experta fuerit Religio Chriſtiana, illud nec hominibus, nec eventibus debet beneficium. Sola enim pluribus conflictata eſt vexationibus, quàm ceteræ omnes ſimul inſtitutiones. A mille & ſeptingentis annis, quot pericula, quot certamina nonne habuit ſuſtinenda?

Eam tamen videmus omnibus ſuperſtitem erroribus, inter varias rerum humanarum viciſſitudines, inter populorum ruinas, inter innumeras Imperiorum converſiones immotam ſtare. Nec conjurata Principum potentia, nec obſtinata dæmonum improbitas, nec impiæ novatorum molitiones, nec hæreticorum fraudes, nec fidelium corruptela, nec temporis diuturnitas, quæ omnia ſenſim abſumit & delet, eam evertere potuerunt. Quemadmodum aquæ diluvii ſuper univerſam terram effuſæ, nedum arcam confringerent, eam tantum ſublimiorem in locum erexerunt; ita diverſæ procellæ & tempeſtates quibus agitata fuit Religio Chriſtiana, & ipſius cuſtos fidiſſima Eccleſia, ad illud tantum profecerunt, ut novam ipſi majeſtatem adderent, eamque magis conſpicuam efficerent.

Quis Religionem hanc ſemper laceſſitam, numquam autem victam inſpiciens, in perpetuis ipſius victoriis conſtans miraculum non agno-

gnoſcat? quis non fateatur cum Judæorum ſapientiſſimo, divinum illud opus eſſe in cujus excidium omni ope atque opera nequicquam incubuerunt homines? *Sinite illos: quoniam ſi ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur; ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini.* (*Act.* 5. 38.) Præteriti multiplicesque Religionis Chriſtianæ triumphi, de futura ipſius gloria certiores nos faciunt. Qui bellum ipſi audent indicere, vel aliquando huic nomen dabunt, & obſequentur dociles, vel ab ea conterentur.

COROLLARIUM.

IMmortales igitur Deo optimo maximo grates rependere debemus, quod ſingulari ejus beneficio in Chriſtianæ Religionis veluti gremio nati fuerimus & inſtituti. *Non fecit* enim *taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Sed tanto munere & Chriſtiani nomine non eſt quod gloriemur, ſi vitam ad ſanctiſſimas illius leges componere detrectemus, ſi quas præcipit virtutes negligamus, & quæ prohibet vitia ſectemur. Illius inſtitutor Chriſtus Dominus e Cælo deſcendit, ut ſuis exemplis & documentis perfectum & abſolutum vitæ exemplar oculis noſtris ſubjiceret; quod moribus exprimere, quantum fert humana infirmitas, debemus. Ex animo nunquam excidat Apoſtolica hæc ſententia: *Eſtote factores verbi & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos ..... Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor oblivioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* (*Jacob. cap.* I. *v.* 22. & 25.)

FINIS.

A01 1453218

[illegible] Google

Digitized by Google

Digitized by Google